





SPECIMEN LITERARIUM

DE NONNULLIS LOCIS VETERUM SCRIPTORUM,

CUM APPENDICE

DE ARUSIANI MESSII EXEMPLIS ELOCUTIONUM.


SIGILLVM · VNIVERSITATIS · CALIFORNIENSIS
FIAT LVX
MDCCCLXVIII
EX LIBRIS

SPECIMEN LITERARIUM

NULLIS LOCIS VETERUM SCRIPTORUM,

CUM APPENDICE

RUSIANI MESSII EXEMPLIS ELOCUTIONUM.

SPECIMEN LITERARIUM INAUGURALE

DE NONNULLIS LOCIS VETERUM SCRIPTORUM,

CUM APPENDICE

DE ARUSIANI MESSII EXEMPLIS ELOCUTIONUM,

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

GERARDI SANDIFORT,

MED. DOCT. ET PROF. ORDIN.,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE

ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN PHILOSOPHIA THEORETICA ET LITERIS HUMANIORIBUS

HONORIBUS ET PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLENNI EXAMINI SUBMITTIT

MARTINUS DES AMORIE VAN DER HOEVEN,

ROTERODAMENSIS;

AD DIEM XXI JANUARII MDCCCXLV, HORA XII—I

IN AUDITORIO MAJORI.

AMSTELODAMI,

TYPIS C. A. SPIN ET FILII,

MDCCCXLV.

PRAEFATIO.

Est hic egregius mos eorum, qui in nostra patria Specimine edendo Doctoratus honores in disciplina aliqua petunt, quod solent in limine opusculi gratum animum palam profiteri erga praeceptores, quos ad illius disciplinae studia duces adjutoresque habuerunt. Ac saepe videmus exteros, si quando in Diariis Literariis judicium ferant de Academicis dissertationibus nostratium, non sine approbatione et laudibus memorare ista testimonia grati erga magistros animi. Quo magis hanc patriae juventutis laudem omni ratione servandam existimo: et ipse officio meo me defuisse putem, nisi ego quoque, hunc morem tenens, Viris Clarissimis, quos in veterum literarum doctrina praeceptores habui, gratias ex animo egerim.

Ex duobus, quos Athenaeum Amstelodamense literarum veterum Professores habet, alter Vir Cl. LENNEPIUS *praecipuam quidem institutionis partem Viro Cl.* BOSSCHAE *cessit; sed ego cum aliis expertus sum, eum haudquaquam totum hoc munus abdicasse, verum in erudiendis Athenaei alumnis etiamnunc non exiguam operam curamque collocare. Nam eum audivi, cum alios scriptores, tum praecipue poëtas Latinos ita explicantem, ut dubitem utrum jucundior an utilior haec mihi institutio exstiterit. Quod si quis nihilominus, non tam illa animadvertens, quibus etiamnunc studiosae juventuti consulere pergit, quam, quod nonnullas muneris partes successori demandaverit, Virum praeclarissimum, quantum ad literarum disciplinam pertinet,* otiari *ar-*

bitretur, sumat in manus, quod nuper edidit, egregium nomini suo monumentum, Hesiodi Theogoniam; indeque discat, quid sit otiari *Literatoribus Neerlandis. Est plane illud Pindaricum,* σχολὴ τῶν ἄλλων ἀσχολίας ὑπερτέρα. *Quod utinam Deus O. M. eximio Viro diu conservet viridem vegetamque senectutem, ut ceteris etiam Hesiodi carminibus edendis nomen suum memoriae posteritatis tradere, literasque veteres insigniter augere possit!*

Quibus vero verbis Viri Cl. BOSSCHAE *merita erga me digne exponere possim, prorsus ignoro. Si quisquam discipulus multum debet magistro, ego huic Viro debeo. Interesse ejus lectionibus mihi contigit per quatuor annos continuos, cum veterum scripta elegantissime simul et accuratissime interpretaretur, cum ad sensum pulchri movendum judiciumque acuendum efficaciter, tum ad singulorum verborum vim percipiendam accommodatissime: ut plane expertus sim, nullam esse explicandi antiquos scriptores rationem, qua plus ad illorum intelligentiam rectamque interpretandi viam proficere discipuli possint. Cui quoniam Summum Numen hoc dedit, ut fortuna domus ejus, quae gravibus casibus afflicta jacebat, nuper erigeretur et tamquam de integro instauraretur, nihil amplius opto, quam ut proprium hoc perpetuumque sit illi beneficium. — Accipiant Viri Clarissimi benevola mente hoc grati animi testimonium: et ita sibi persuadeant, me, qua possim diligentia studiique constantia, daturum operam, ut neque illos mei pudeat, et nominis Hoeveniani, quod nunc in variis disciplinis magna laude floret, non prorsus indignus sim heres.*

Ceterum consilium mihi fuerat, ut progressuum meorum in Literis specimen darem conscribenda historia bellorum, quae Imperatores Romani gesserunt cum regibus Persarum ex Sassanidarum familia. In quam rem quum multa jam collegissem, intellexi eam nimium magni difficilisque operis fore. Quumque simul cognovissem, virum doctum in Francia cummaxime in eodem argumento elaborando versari, opus hoc in aliud tempus rejeci. Nunc quidem ad petendos Doctoratus in Literis honores selegi nonnulla ex Adversariis, quae, veteres scriptores legens, subinde, ut fit,

annotaveram; iisque subjunxi dissertatiunculam de Arusiani Messii Exemplis Elocutionum, quem libellum ex apographis bibliothecae Lugduno-Batavae videbar mihi paullo emendatiorem reddere posse. In hoc autem Specimine esse video, quod paucis excusandum sit. Etenim ausus sum hic illic quaedam veterum scriptorum loca conjecturis tentare: quod negotium fortasse a nonnullis existimabitur aetatem meam et imperitiam parum decere. A quibus non prorsus dissentio; et propterea paucas tantum conjecturas protuli, praecipuam autem operam in aliis rebus collocavi. Nam quod ex his ipsis quamvis paucis speciminibus appareat tamen, me privatis studiis in hoc genere nonnumquam ingenium exercuisse: nemo, ut opinor, tam durus erit, qui mihi vitio vertere velit. Quod si quis fuerit, magnorum virorum testimoniis me tuebor, qui verissime animadverterunt, hoc studium juvenili aetati imprimis proprium esse solere, ac mira quadam suavitate allicere adolescentium animos. Sic Wyttenbachius scripsit in Vita Ruhnkenii, p. 234: »*Juvenile ingenium fere ad emendationem proclive* »*est. Est sane emendatio munus praecipuum Critices, ejusque ti*»*rocinio imprimis apta materia, cum exercitatione ingenii, tum* »illecebris excitandi retinendique studii." *Vir Celeberr. Peerlkamp, in Biblioth. Critica Nova III. p.* 398. *cum de juvenum ardore in hac re temperando diceret:* »*Habet (inquit) illa divi*»*nandi cupiditas satis ipsa dulcedinis." Similia de sese professus est princeps Criticorum Germanorum, Heynius, cum viginti tres annos natus Charitonem in linguam patriam versum ederet, textumque Graecum subinde ex conjectura immutasset* [1].

Verum haec verba mea ne quibusdam fortasse minus perspicua videantur, intelligo mihi sententiam dicendam esse de re, de qua judicare alioqui meum non esse existimarem. Ergo quid sentiam, dicam modeste et ingenue. Erunt forte, qui excusationem istam meam mirentur, cum non paucae in patria nostra Dissertationes

---

[1] In Praefatione, his verbis: »*Ich habe hierunter jenes unendliche Vergnü*»*gen genossen, das ein junger Kritikus empfindet, wenn er emendiren kann.*" — Vid. Heerenus, in egregia vita Heynii: Opp. Historic. Vol. VI. p. 37.

Literariae a juvenibus conscriptae prodierint, quae totae fere in hoc conjecturarum genere consumuntur. Ex quorum sane Speciminum multitudine si quis Criticorum proventum in patria nostra aestimet, nae is sibi praeclara quaevis auguretur! Verum spes egregie eum fallet: et frustra quaeret, quid praecoces illi emendatores tantis initiis dignum praestiterint. Nimirum ex multis juvenibus, qui Critici volunt videri, pauci viri, vere Critici, crescunt. De qua re quoniam plura dicere, me parum decet, apponam potius Ruhnkenii dictum in Praefatione ad Apulejum, qui ob eamdem causam jam illa aetate nostrorum adolescentium mores notavit; simul ut appareat, tempora parum mutata esse: »Juniores (inquit) Literatores nunc subitariis conjecturis edendis »famam venantur." Quibus verbis, ne nimium dixisse videar, unum non addo.

DE NONNULLIS LOCIS VETERUM SCRIPTORUM.

CAP. I.

SPECIMEN ANNOTATIONUM IN TERENTIUM.

(*De prologo Andriae.*)

Ad v. 1. *Poëta quum primum animum ad scribendum appulit*] P. J. Brunsius edidit Terentii Comoedias Halae 1811 duobus voluminibus, expressas ad fidem codicis Halensis antiquissimi, additis glossis ex illo Codice interlinearibus. Ibi ad verbum *appulit* scriptum est: *attulit.* Saepe istae Codicis Halensis glossae non sunt explicationes verborum Terentii, sed lectiones, quae dicuntur, variantes: quae apponuntur sive praepositâ particulâ *vel:* sive simpliciter et nude, ut hoc loco factum est. Nam illud *attulit* fuisse diversam a vulgata in Terentio lectionem, apparet ex scholio Donati: »In secunda lectione *attulit* fuit: »sed *appulit* magis: nam postea sic: *Animum ad uxorem* »*appulit.*" Recte Donatus alteram lectionem praetulit, quam etiam secutus est Arusianus Messius Grammaticus in libello mox citando, sub voce: *Appulit ad hoc:* et Sulpicius Severus in Praefatione ad Vitam Beati Martini, ubi hunc locum sic expressit: »Ego enim cum primum animum ad »scribendum appuli, quia nefas putarem tanti viri latere »virtutes" etc.

Ad v. 8. *Quaeso animum advortite*] *Animum advortite*, vel *animadvertite*, nunc esse videtur in omnibus Mss. At olim aliam etiam lectionem in exemplaribus fuisse, docet nos Donatus. »Legitur (inquit) et *attendite.*" Mirari mecum soleo, quod magister ille addidit. Nam cum certum sit, unum tantum ex duobus esse a Terentio, ille tamen subjecit: »Unde manifestum est, et *advertite*, »et *attendite*, non esse plenum, nisi addideris *animum.*" Interim huic diversae lectioni, sane antiquae, fortasse novam auctoritatem addere potero. Arusianus Messius in libello cui titulus *Exempla Elocutionum*, sub voc. *Attendo animum*, scripsit secundum editionem Ang. Maji: »*Ter.* »*Phorm. Animum attendite.*" Quae leguntur sane in prologo Phormionis. Itaque Majum secutus Lindemannus, in Corp. Grammatic., non aliter edidit, quamvis ipse in Codice, quo usus est, reperisset: *Ter. Andr.* Idem ipse inveni in duobus apographis, ex quibus Arusianum edere voluerat P. Bondamus, quaeque nunc in Bibliotheca Lugduno-Batava asservata, mihi, ut cum editis compararem, suppeditavit V. Celeberr. J. Geel: unde libellum istum non paucis in locis emendavi [1]. Fortasse sic scripsit Arusianus, et hoc Andriae loco eam lectionem in suo libro invenit, quam in aliis exemplaribus fuisse testatur Donatus.

Ad v. 9, 10. *Menander fecit Andriam et Perinthiam: Qui utramvis recte norit, ambas noverit.*] Imitatus est hunc locum Macrobius, *de Differentiis et Societatibus Graeci Latinique verbi*, in Praef., ubi de Graeca Latinaque lingua ita dicit: »Qui utramvis artem didicerit, ambas no»verit."

Ad v. 19—21. *Quos hic noster auctores habet: Quorum aemulari exoptat negligentiam Potius, quam istorum ob-*

[1] Emendationes illas protuli in Appendice.

scuram diligentiam.] Respexit haec Donatus ad verba in Adelph. Prol. v. 14: *locum Reprehensum qui praeteritus negligentia est*, scribens: »*Negligentia:* Plauti scilicet; cu»jus aemulari nunc exoptat negligentiam"; ubi legendum videtur: *nunc non exoptat* etc. Eumdem hunc locum eleganter expressit Probus, Institutionum Grammaticarum Lib. II. segm. IV. § 4. (p. 144. extr. ed. Lindemann.): »quorum obscuram peritiam devitabo, illorum nobilissima »negligentia decoratus."

Ad v. ult. *Spectandae, an exigendae sint vobis prius.*] Donatus: »*Exigendae,* excludendae." Pariter idem in hac re *excludendi* verbo usus est ad Hecyr. Prol. alter. v. 7: »quum Hecyra exclusa sit." ibid. ad v. 13: v. 25: et alibi. Quae vox primum mihi minus apta videbatur: ut adeo cogitarem, num forte in *explosa* mutanda esset. Sed observavi, recentiori Latinitate verbum hocce saepe ibi fuisse adhibitum, ubi exspectares *exigere, ejicere, expellere*, vel simile. Servius, hunc ipsum locum Terentii citans, ad Virg. Aen. II. 357: (*lupi*) *quos improba ventris Exegit caecos rabies*, scripsit: »*Exegit:* exclusit, de latebris sci»licet: ut Terent. *Spectandae an exigendae sint vobis* »*prius.*" Ubi Burmannus pro *exclusit* commodius legi posse *extrusit* putabat. Idem Servius ad Aen. III, 274: »de hoc »Leucate amatores se in mare, ad excludendum amorem, »praecipitare dicebantur": ubi iterum Burmannus: »ma»lim (inquit) *ad excutiendum amorem.*" Alia tentat in eo loco Burmannus Secundus ad Propert. p. 338: *ad eluendum*, aut: *exstinguendum;* et Ruhnkenium conjecisse refert: *ad exuendum amorem.* Sed nulla mutatione opus esse videtur. Simillimus locus Sancti Hieronymi, Lib. II. *advers. Jovinianum*, narrantis de Diogene qui febri vexabatur: »per »noctem eliso gutture, non tam mori se ait, quam febrem »morte excludere." Idem in *vita Hilarionis Eremitae:*

»pectus pugnis verberans, quasi cogitationes caede manus »posset excludere." S. Ambrosius, *de Jacob et vita beata*, II. 11: »Exclusa est anima, non religio." Claudius Donatus ad I Aen. 209: »Videri enim debuit persuasor ante omnes »rejecisse moestitiae partem, ne persuasionis effectum per- »deret, si ipse intelligeretur tenere sensibus suis, quod alio- »rum mentibus aliqua ex parte desiderabat excludere." Ibid. ad v. 262: »Quia aegritudo animi tui non potest penitus »brevitate sermonis excludi." et ad v. 720. idem illud *exclu-dere amorem* usurpavit: »Novus enim amor inferri non pos- »set, nisi vetus primo fuisset exclusus." Sic hoc verbum de illis qui sedibus suis ejecti, vel exire coacti sunt, usurpavit Servius ad verba Virgilii Aen. I, 2: *fato profugus:* ac pariter Donatus ad initium Aeneidos: »Asiae finibus exclusus Ae- »neas, amisso genitali solo, quasi exul trahebatur in alienas »terras"; cui redde mox ad eadem Virgilii verba, ad quae Servium citavimus, ubi vulgo in Donati interpretatione le- gitur: »fato perdidit patriam, fato expulsus." Nam in Codice Commentariorum Donati Harlemensi, quem cum editis com- parandum accepi beneficio Viri plurimum Venerandi A. de Vries, scriptum est: »*fato exclusus.*" Conf. Serv. ad VIII. Aen. 328. et IV, 245, ubi *excludere* et *pellere* conjunxit. Et sic Aelius Donatus ad Terentium, ut h. l. *exactam* fabulam interpretatus est *exclusam:* ita alibi *expulsam*, ut ad Hecyr. Prol. alt. v. 4: quod non magis in *explosam* mutandum est.

CAP. II.

Ad Virgilii Eclog. X. v. 52. sqq.

Certum est in silvis, inter spelaea ferarum,
Malle pati, tenerisque meos incidere amores
Arboribus: crescent illae; crescetis, amores!

Bucolica Virgilii tum primum recte intelligere atque

adamare coepi, postquam interpretem iis adhibui Vossium, magni nominis poëtam Germanicum. Quare, cum Vossii auctoritas plurimum apud me valeat, quaedam de hoc loco dicturus, ante omnia verba ejus apponam, quibus in eodem explicando usus est. Igitur ad illa: *crescetis, amores!* haec notavit: »*Amores* significare possunt *amicam*, cujus »nomen cum arbore crescat. Sed consuetudo loquendi »Virgiliana suadet, ut majorem vim sententiae tribuamus »hanc: fore, ut cum arboribus, in quarum cortice pro- »fessus erat amores, ipse amor, ipsum desiderium amicae, »a qua esset desertus, cresceret."

Maluit ergo Vossius, verba: *crescetis amores!* de animi affectu intelligi, quam de nomine puellae amatae. Primum observo, non aliter quam Vossium, intellexisse videri veteres. Servius annotavit: »Quasi ei iterum displicet, »ne cum arboribus ejus crescant amores." Haec qui scripsit, aliter intelligere non potuit. Donatus ad Terentii verba, Andr. III, 3,7: *per nostram amicitiam, Chremes, Quae incepta a parvulis cum aetate adcrevit simul,* dixit: »Hinc *Virgilius: — Crescent illae, crescetis amores!*" Donatus saepe perperam et sine aliqua veri specie Virgilium quaedam ex Terentio expressisse putavit: ita tamen, ut verba utriusque non inepte comparari possint; hoc autem loco Virgilii verba cum Terentianis componere plane non potuit, nisi ita ea sit interpretatus, ut fecit Servius. Clarius eadem interpretatio et latius explicatur in Epigrammate ex his ipsis Virgilii versibus expresso, quod tribuitur Florido, in Anthol. Latina Burmanni Tom. I. p. 687:

Quando ponebam novellas arbores mali et piri,
Cortici summae notavi nomen ardoris mei.
Nulla fit exinde finis vel quies cupidinis;
Crescit arbor, gliscit ardor, ramus implet literas.

In quibus versibus pro *Cortici summae notavi* libenter legerim: *Cortice in summa notavi*[1]*;* ultima autem illa: *ramus implet literas*, quid significent, me prorsus non intelligere fateor.[2] — Ergo jam multi veterum Virgilii verba *crescetis amores!* de crescente animi affectu intellexerunt. Verum, ni fallor, haec interpretatio probari nullo modo potest. Nam primum videtur vix admitti posse, *amores* h. l. affectum animi significare: cum tamen praecedenti versu, quocum haec verba arcte cohaerent et alterum quasi ejusdem sententiae membrum faciunt, eadem vox *amores* non possit nisi de nomine puellae amatae capi, ut interpretatus etiam est ipse Vossius: qui proinde quomodo potuerit dicere hanc significationem minus quam alteram cum Virgiliano loquendi usu congruere, non satis intelligo.

---

[1] Sic Virgil. Ecl. 5. v. 13: »Immo haec, in viridi nuper quae cortice »fagi Carmina descripsi et modulans alterna notavi;" unde Calpurn. I. 20: »Sed quaenam sacra descripta est pagina fago, Quam modo nescio quis »properanti falce notavit." Verbum *notare* in hac re frequens est. Iterum Calpurn. III, 43: »cerasi tua cortice verba notabo." Ovidius, loco mox citando: »Incisae servant a te mea nomina fagi; Et legor Oenone falce »notata tuâ"; ubi et *incidere* habes, ut apud Virgilium, Ecl. X, v. 53. et Calpurn. I, 35 et VIII, 29. Ex his locis praeterea discimus rusticos id facere consuevisse *falce:* et plerumque in cortice *fagi*, quippe huic usui imprimis apto (nam minus bene ad alias causas referre videtur Broukhusius ad Prop. I,18,20), unde et nomen huic arbori venit Germanicum *Buchenbaum*.

[2] Vir quidam doctissimus, cui haec legenda dederam, conjecit scribendum esse: *animus implet literas;* id est, ardor animi mei implet, aequat literas crescentes: ardor animi cum literis crescit. Illud *implere* idem esse ajebat, quod minus Latine dicatur: animus *respondet* literis, pari passu cum literis incedit. Quam conjecturam pulcherrimam et verissimam esse existimo. Facillime *animus* in *ramus* corrumpi potuit, praesertim cum praecedat *ardor,* cujus vocabuli ultima litera huic voci per errorem adhaesit. Vir ille doctiss. praeterea pro: *Nulla fit exinde,* metri causa reponendum censebat: *Nulla fit deinde*.

Neque illud Vossio concedere possum: majorem vim inesse sententiae, si de ipso amoris affectu haec capiamus. Amoris augmenta saepe eleganter cum incrementis arborum comparantur: ut Virgilius infra in hac ipsa Ecloga pulcherrime dixit:

> Gallo, cujus amor tantum mihi crescit in horas,
> Quantum vere novo viridis se subjicit alnus.

Laberius de amore suo, citante Aurelio Antonino in Epp. Frontonis ad M. Caesarem II, 9 (ed. Rom. p. 54): »Amor tuus tam cito crescit quam porrus, tam firme quam »palma.” Ipse Fronto, ibid. I, 2 (p. 5): »Tuus igitur iste »amor incultus et sine ratione exortus, spero cum cedris »porro adolescat et aesculis.” Verum ab his diversus esset locus noster, in quo res ita proponeretur, quasi conjuncta ista essent quodammodo, ut quantum nomen amatae puellae in cortice, tantum ipsius amor in animo juvenis cresceret: quae sententia caret veritate, et nimis quaesiti acuminis est. Relegat mihi quis epigramma Floridi, in quo sententia illa verbis satis elegantibus expressa est: et sentiet, ni fallor, animum suum nulla vi suavitatis affici. Contra in altera explicatione est simplex rerum veritas, et nativa venustas. — Denique interpretatio ista sententiae totius loci adversatur. Nam Gallus in his versibus apud animum suum constituit ire in Arcadiam, ut vitae pastoritiae laboribus et delectationibus inveniret levamen malorum, quae ex amore patiebatur. Jam si dicat, fore ut amor ille, quo peribat, dum inter pastores degeret magis etiam indies cresceret: apparet, quantopere hoc toti loco repugnet. Sensit id ipse Servius, ut solet esse accuratus, dicens: »Quasi ei iterum displicet, ne cum arbo»ribus ejus crescant amores.” Verum ista etiam sententia, quasi jam iterum Gallus consilium suum repudiet, hic

locum habere nullum potest. Nam nunc quidem pergit pastoritiam vitam sibi proponere tamquam malorum remedium, et postea demum, inde a vers. 60, resipiscens exclamat:

— tamquam haec sint nostri medicina furoris, [1]
Aut Deus ille malis hominum mitescere discat!
Omnia vincit Amor: et nos cedamus Amori!

Non possunt igitur verba Virgilii: *Crescent illae, crescetis amores!* nisi de nomine puellae arbori inciso, et simul cum arbore crescente, intelligi. Quod quum ita sit, an dubitabimus adhuc, quin Ovidius, qui tam frequenter Virgilium manifesto ad verbum expressit, etiam hunc exquisitum sensum ab illo duxerit, cum scriberet, Her. V, 21:

Incisae servant a te mea nomina fagi:
  Et legor Oenone falce notata tuâ.
Et quantum trunci, tantum mea nomina crescunt:
  Crescite, et in titulos surgite recta meos! [2]

quos versus imitatus est elegans poëta, Hadr. Relandus, Galateae El. X v. 63 sqq:

Illic castaneae molles tua nomina servant,
  Quam bene nominibus nomina juncta meis!
Una quidem ante alias incisâ parte superbit,
  Crescit et in titulos ambitiosa meos. [3]

---

[1] Hic locus manifesto obversabatur Calpurnio, Ecl. IX v. 27. sqq:
Interea, tamquam nostri solamen amoris
Hoc foret, aut posset rabidos medicare furores,
Nulla meae trinis tetigerunt gramina vaccae
Luciferis.

[2] Ovidium haec a Virgilio sumsisse, putavit etiam Dempsterus ad Rosini Antt. I, 11: ubi multa de more veterum in arboribus scribendi collegit, et carmen Floridi tamquam antiquum et elegantissimum celebrat.

[3] Videantur, quae de consuetudine veterum nomen amatae puellae

CAP. III.

Ad Virgilii Georg. II v. 401,402:

— redit agricolis labor actus in orbem,
Atque in se sua per vestigia volvitur annus.

Annus, quippe orbis imaginem referens, *redit in se:* quoniam autem semper eumdem cursum habet, ac per eadem spatia volvitur, h. l. a Virgilio dicitur *in se sua per vestigia volvi.* Videtur imitatus esse Varium, qui idem de mundo dixerat: *Ad quos mundi resonat tenor, Sua se volventis in vestigia.* At Virgilium expresserunt recentiores poëtae: Corippus de laudib. Justini lib. IV:

Lux octava novo nascentis lumine Christi
In se volventis vestigia flexerat anni, etc.

Alcimus Avitus Libro in Numeros, ipsis primis versibus, quos solos edidit Sirmondi Opp. T. II, p. 218:

Verterat interea solitis se cursibus annus,
Mensibus explicitis sua per vestigia currens.

Paullinus in Natali XI. v. 602:

Diximus, ut fugiens non fugerit; utque redactis
Passibus emensos sua per vestigia cursus
Incassum totiens volvente relegerit orso.

Ad sententiam ipsam multa collegit, qua solebat diligentia, Barthius ad Claudiani Probin. et Olybrii Cons. v. 2. Quod Virgilius dixit: *in se volvitur annus,* alii dixerunt aliter. Orientius Commonitorii Lib. I. dist. 147: »se longi sequitur rota mobilis anni." Servius ad Ecl.

---

insculpendi arboribus, ad eum locum notavit Vir Clariss. P. Bosscha, neque omittantur Addenda, p. 114, 115.

2. v. 31, vocat »annum, qui in se recurrit." Poëta de Temporum varietate in Anth. Lat. T. II. p. 321: »redit »annus in annum." Volebat dicere: *redit annus in se.* Cujus carminis auctorem ante oculos habuisse Horatium, Od. IV, 7. monuit celeberr. Horatii interpres. Ea imitatio multo etiam manifestior esset, si ad finem horum versuum addita ab ipso auctore fuerint, quae iis subjecit, fortasse tamen de suo addens (quod in medio relinquo), Columbanus Abbas in Epistola ad Hunaldum:

— redit annus in annum.
Omnia cum redeant, homini sua non redit aetas;

et quae sequuntur: quae certe cum Horatianis comparanda sunt.

Nondum Virgilium missum facio: sed subjiciam quaedam de versu Aeneidos, in quo Romanas artes has esse praedicavit: *Parcere subjectis, et debellare superbos.*

Hoc ne a praeclarissimo vate minus ex vero, quam ex favore Romani nominis (etenim laudi id tum ducebatur) dictum quis putet, ecce recentiorem Graeculum, Petrum Patricium, in Excerptis Legationum, T. I. Scriptor. Hist. Byzant. ed. Niebuhr, p. 128. idem plane Galerium Imperatorem loqui facientem, *se τοῖς τῶν οἰκείων προγόνων ἴχνεσιν ἀκολουθεῖν, οἷς ἔθος φείδεσθαι μὲν τῶν ὑπηκόων, καταγωνίζεσθαι δὲ τῶν ἀντιταττομένων.* Ac si forte locus ille ex Virgilio ductus esse videatur (nam certe verba Virgilianis sunt simillima), omni utique exceptione major testis est Diodorus Siculus, qui lib. XXXIII. idem scripserat: *ὅτι διεδόθη ἡ τῶν Ῥωμαίων πρὸς μὲν τοὺς ἀντιπραττομένους ἀπαραίτητος τιμωρία, πρὸς δὲ τοὺς πειθαρχοῦντας ἡ τῆς ἐπιεικείας ὑπερβολή*: quod fragmentum in Scriptt. Vett. Vaticana Collectione T. II. p. 99. edidit Ang. Majus.

CAP. IV.

Verba Ciceronis Tusc. Quaest. I, 11. de Platonis Phaedone: *nescio quomodo, dum lego, assentior: cum posui librum, et mecum ipse — coepi cogitare, assensio omnis illa elabitur:* multorum imitatione frequentata sunt. Habuit ea in mente S. Hieronymus, cum scriberet, lib. II. advers. Pelagianos: *Quando enim loqueris, coactus argumentationum strophis tibi videor assentire: cum autem tacueris, ex animo rursus elabitur.* Item, ut videtur, Isidorus, Etymol. II, 2: *Nam membranis retentis, quasi accrescit memoriae series dictionis: ac* (f. at) *mox repositis, recordatio omnis elabitur.* Denique Ausonius in Epistolis Symmach. I, 26: *Persuasisti mihi, epistolae meae apud Capuam tibi redditae concinnationem inhumanam non esse. Sed hoc non diutius, quam dum paginam tuam legi, quae me blanditiis inhiantem suis, veluti succo nectaris delibuta perducit. Ubi enim chartulam pono, et me ipsum interrogo*, etc. — *Aliud sentio ex epistola tua, aliud ex conscientia mea.* Rursus ultima Ausonii verba expressit Ennodius, Ep. I, 4: *Anagnostici fidem secutus, et suavi orationis sapore provocatus, pene vitium credidi rem esse virtutis;* — *Aliud sentiebam de epistola vestra, aliud de proposito meo.*

CAP. V.

Juvenalis Sat. VI. v. 258, 259: dixit:

Hae sunt, quae tenui sudant in cyclade, quarum
Delicias et panniculus bombycinus urit.

Mira res, vestes bombycinas, quae ea essent tenuitate,

ut nudarent corpora magis quam tegerent, tamen dici oneri ac molestiae esse; et in istis vestibus sudari, de quibus S. Ambrosius, inania divitum studia irridens, in libro de Nabuthe cap. 5. scripsit: »Habent et vesti»menta frigora sua; algetur in sericis: tamen pretia ju»vant, et quae natura aversatur commendat avaritia." Signum aut maximi solis ardoris, aut incredibilium deliciarum. Ad aestatis ardores declarandos retulit Sidonius Apollinaris II. Ep. 2: »nunc dum in carbaso sudat »unus, alter in bombyce;" qui videtur Juvenalem, ut saepe, ante oculos habuisse: quamquam hic posuerat in documentum nimiae luxuriae. Pariter in mollitie Orientalium describenda adhibuit Auctor Incertus Panegyrici Constantino Aug. dicti C. 24 (in Paneg. Vett. Arntzenii p. 534): »quales amoena Graeciae, et deliciae Orientis »educunt, vix leve pallium, et sericos sinus, vitando »sole [1] tolerantes:" quem imitatus est Latinus Pacatus Panegyrici cap. 33. milites Antonianos in bello Actiaco describens: »illos tenero perlucentes amictu, et vix leve »carbasum vitando sole tolerantes." Idem Claudianus in Eutrop. Lib. II. v. 337. in monstris istis libidinis et luxuriae notavit:

— onerique vel ipsa
Serica.

cui loco gemina plane sunt verba S. Hieronymi in Epistola ad Pammachium super obitu Paulinae uxoris, de mulieribus delicatissimis ita loquentis: »Quibus serica »vestis oneri erat, et calor solis incendium." Libet hic me-

---

[1] Illud: *vitando sole*, quae lectio Pacati loco mox citando firmatur, male mutant, male explicant. Significat auctor eos studiose vitare solem, et sic aegre ac vix tolerare vestem sericam.

minisse Plinii, more suo in perditos seculi mores declamantis: Nat. Hist. XI, 27: »Nec puduit has vestes »(bombycinas) usurpare etiam viros, levitatem propter »aestivam. In tantum a lorica gerenda discessere mores, »ut oneri sit etiam vestis.” — Quid dixisset Plinius in viros, quibus ipsa adeo bombycina vestis esset oneri?

CAP. VI.

Quod in veterum Atheniensium laude ponit Isocrates Panegyr. cap. 22: *Οὐ γὰρ ὠλιγώρουν τῶν κοινῶν, οὐδ᾽ ἀπέλαυον μὲν ὡς ἰδίων, ἠμέλουν δὲ ὡς ἀλλοτρίων· ἀλλ᾽ ἐκήδοντο μὲν ὡς οἰκείων, ἀπείχοντο δὲ ὥσπερ χρὴ τῶν μηδὲν προσηκόντων*: idem in bono magistratu laudat Seneca de Brevitate vitae c. 18. loco perquam simili: »Tu quidem orbis terrarum rationes administras, tam abstinenter quam »alienas, tam diligenter quam tuas.”

Alias nonnullorum locorum comparationes subjiciam. Synesius de Providentia p. 103. A. Osiridis regnum praedicans, ait: *καθάπαξ εἰπεῖν, ἄσχολος ὢν ὑπὲρ τῆς ἁπάντων σχολῆς*; plane ut Mamertinus in Gratiarum actione Juliano, c. 12: »Imperator noster — suo negotio omnibus otium »praestat [1]:” et paullo ante: »laborum asperrima sibi »sumens, ut nos quietis rebus agitemus.” Seneca ad Polybium c. 26, de Caesare: »Omnium domos (leg. *somnos*)

---

[1] Conferunt interpretes Mamertini verba cum Ovidianis, Trist. II, 235:

»Nec tibi contingunt, quae gentibus otia praestas.”

Adde Symmach. Laud. in Valentinian. Senior. c. 9: »Quietem tibi ne»gas, quam ceteris praestas.”

»illius vigilia defendit, omnium otium illius labor, om-
»nium delicias illius industria, omnium vacationem illius
»occupatio." Ennodius in Panegyrico Theodorico Regi: »otia nostra magni Regis sollicitudo custodit."

Socrates apud Platonem, initio Phaedri, cum audivisset Lysiam orationem composuisse, hujus argumenti: *ὡς χαριστέον μὴ ἐρῶντι μᾶλλον ἢ ἐρῶντι*, exclamat: *Ὦ γενναῖος! εἴθε γράψειεν ὡς χρὴ πένητι μᾶλλον ἢ πλουσίῳ.* Hanc *ὑπόθεσιν* et votum Socratis postea implevit Philostratus, quadam epistola, qua juvenem monet, ne se spernat pauperem amatorem, sed potius divitibus praeferat, grato magis animo futurum, ac modestiorem et promptiorem ad quaecumque ministeria. Sequens etiam epistola, ad mulierem scripta, in eodem argumento versatur. Comparandi Tibulli idem agentis versus I, 5, 61:

Pauper erit praesto tibi: praesto pauper adibit
 Primus, et in tenero fixus erit latere.
Pauper in angusto fidus comes agmine turbae,
 Subjicietque manus, efficietque viam.
Pauper ad occultos furtim deducet amicos,
 Vinclaque de niveo detrahet ipse pede.

CAP. VII.

Columella in Praef. ad libros de Re Rustica, § 10, honorum cupidiores ita deridet, ut dicat eos *miserrimo famulatu per dedecus fascium decus, et imperium mercari.* In quibus verbis notandum duplicis oppositionis acumen. Primum est in his: *per dedecus, fascium decus;* quibus similis est Senecae sententia, Natur. Quaest. I. in Praef: »Ambitio, quae te ad dignitatem, nisi per in-

»digna, non ducet:" quam repetiit, ut solebat ille sua, in quibus sibi placuisset, saepius repetere, De Brevitate vitae c. 19: »quosdam, cum in consummationem dignitatis per mille indignitates erepsissent;" etc. — Alterum acumen est in eo: *famulatu imperium mercari*, ut apud Tacit. Hist. I, 36. de Othone: »adorare vulgus, jacere »oscula, omnia *serviliter pro dominatione*." In eadem re similes argutias quaesivit Mamertinus, Gratiar. act. Juliano c. 16: »multaque alia propter honorem agenda, »quae alias virum honore dignum facere non deceret."

Juvat comparare loca quaedam scriptorum, quamquam non antiquissimorum, qui eodem omnes sententiae acumine usi sunt in facto Lucretiae commemorando. S. Hieronymus lib. I. advers. Jovinianum: »Lucretia (inquit) »violatae pudicitiae nolens supervivere, maculam corpo»ris cruore delevit." Tertullianus, Exhortat. ad Castitat. c. 13: »Vel illa Lucretia, quae ut semel — per vim et »invita alium virum passa est, sanguine suo maculatam »carnem abluit." Poëta in Anthol. Latina T. I. p. 349 his verbis ipsam locutam finxit:

> Proin animam testor scelus haud tetigisse: sed ecce,
> Ut solum foedum est corpus, et id fodio:
> Quo cruor inflictam labem lavet, — etc.

Quae verba ita similia sunt verbis Senecae in Hippolyto, 892 sq., ut inde expressa putare possis. Dicit autem apud Senecam Phaedra:

> Non cessit animus: vim tamen corpus tulit:
> Labem hanc pudoris eluet noster cruor.

Comparari potest illud Ciceronis in Verrina V, 46: »Er-

»rabas, Verres, et vehementer errabas, cum te maculas furtorum et flagitiorum tuorum, sociorum innocentium sanguine eluere arbitrabare." Seneca, Agamemnone, v. 976: »caede respersam viri, Atque obsoletam, sanguine hoc dextram ablue." Non dissimilis formulae exempla sunt apud Graecos, qui factum Tarentini scurrae narravere, de quo Freinshemius ad Florum, I,18,5. Ceterum acumen sententiae inde oritur, quod, cum mors violenta saepe per sanguinem effusum declaretur, huic sanguini tribuantur, qui proprie mortis effectus sunt. Ergo ab eodem fonte fluxit Petronii locus, Satyrico, c. 139: »Tu, voluptas mea, numquam »finies hunc ignem, nisi sanguine restinxeris." Nonnihil diversum est hoc Flori, I,13,17: »Camillus omnia incendiorum vestigia Gallici sanguinis inundatione delevit": quod in aurea illa Praefatione merito tamquam tumore poëtico dictum carpit Graevius, consentiente Ruperto. Idem plane sensus apud Claudianum, de Bello Getico v. 291: »haec (Ausonia) Senonum restinxit sanguine flammas": ubi et Burmanni par censura est in Flori locum.

CAP. VIII.

Est verissimum et ad vitam communem utilissimum monitum Socratis, relatum a Xenophonte Memorab. III,7,6. quo juvenem quemdam verecundantem in populi multitudine verba facere, ita allocutus est: *πότερον τοὺς γναφεῖς αὐτῶν ἢ τοὺς σκυτεῖς ἢ τοὺς τέκτονας ἢ τοὺς χαλκεῖς ἢ τοὺς γεωργοὺς ἢ τοὺς ἐμπόρους ἢ τοὺς ἐν τῇ ἀγορᾷ μεταβαλλομένους καὶ φροντίζοντας, ὅ τι ἐλάττονος πριάμενοι πλείονος ἀποδῶνται, αἰσχύνῃ; ἐκ γὰρ τούτων ἁπάντων ἡ ἐκκλησία συνίσταται.* Quis humanior ignorat illa, quae hinc fluxerunt, Ciceronis, Tuscul. Quaest. V, 36: »an quidquam stultius, quam quos

»singulos sicut operarios barbarosque contemnas, eos esse »aliquid putare universos." At minus fortasse notum est, eandem exquisitam sententiam adhibuisse Joan. Chrysostomum, Homil. 17 in Ep. ad Rom. T. IX. p. 627 ed Montfauc.: *καθάπερ γὰρ ἑταιριζομένη γυνὴ καὶ ἐπὶ τοῦ στέγους ἑστῶσα πᾶσιν ἑαυτὴν ἐκδίδωσιν, οὕτω καὶ οἱ κενοδοξίας δοῦλοι, μᾶλλον δὲ καὶ ἐκείνης αἰσχίους οὗτοι· ἐκεῖναι μὲν γὰρ πολλαχοῦ κατεφρόνησάν τινων ἐρασθέντων αὐτῶν· σὺ δὲ ἅπασι σαυτὸν προὔθηκας, καὶ δραπέταις, καὶ λῃσταῖς, καὶ βαλαντιοτόμοις· ἀπὸ γὰρ τούτων καὶ τῶν τοιούτων τὰ ἐπαινοῦντα ὑμᾶς συνέστηκε θέατρα, καὶ οὓς καθ' ἑαυτοὺς ὄντας οὐδενὸς ἀξίους εἶναι νομίζεις, τούτους συλλεγέντας τῆς σεαυτοῦ προτιμᾷς σωτηρίας, καὶ πάντων ἐκείνων ἀτιμότερον σαυτὸν ἀποφαίνεις.* Chrysostomus, ut Cicero, ad ambitionis vanitatem retulit; sed non potuit ex religionis Christianae doctrina fabros et operarios contemnendos dicere, ideoque usurpavit exempla hominum maleficorum. Affinis quoque est sententia S. Hieronymi in Epistola ad Pammachium, ubi loquitur de oratoribus sacris: »Nostra quam dura sit necessitas, hinc po»tes animadvertere, quod vulgi standum est judicio, et »ille in turba metuendus, quem, cum videris solum, »despicias."

Addam aliam sententiae Socratis apud scriptorem posteriorem imitationem. Socrates dixit, narrante iterum Xenophonte Memor. I, 2,9: *ὡς μωρὸν εἴη, τοὺς μὲν τῆς πόλεως ἄρχοντας ἀπὸ κυάμου καθίστασθαι, κυβερνήτῃ δὲ μηδένα θέλειν κεχρῆσθαι κυαμευτῷ, μηδὲ τέκτονι, μηδ' αὐλητῇ, μηδ' ἐπ' ἄλλα τοιαῦτα, ἃ πολλῷ ἐλάττονας βλάβας ἁμαρτανόμενα ποιεῖ τῶν περὶ τὴν πόλιν ἁμαρτανομένων.* Idem dixit Philo Judaeus, De Creatione Principis, initio: *οὐ τοίνυν προσήκει δεσπότας καὶ ἡγεμόνας ὅλων πόλεων καὶ ἐθνῶν ἀποφαίνειν τοὺς κλήρῳ λαχόντας· — ἀλλ' εἰς μὲν τῶν καμνόντων ἐπιμέλειαν κλῆρος τὸ μηδέν· ἰατρὸν γὰρ οὐ κλήρῳ λαγχάνουσιν, ἀλλὰ πείρᾳ δοκιμά-*

ζονται· καὶ πρὸς εὔπλοιαν καὶ σωτηρίαν τῶν θαλαττευόντων οὐχ ὁ λαχὼν κυβερνᾷν εὐθὺς ἐπὶ πρύμναν παραπέμπεται.

CAP. IX.

Alcibiades narrat apud Platonem in Symposio p. 219. C, D: εὖ γὰρ ἴστε, μὰ θεοὺς, μὰ θεὰς, οὐδὲν περιττότερον καταδεδαρθηκὼς ἀνέστην μετὰ Σωκράτους, ἢ εἰ μετὰ πατρὸς καθηῦδον ἢ ἀδελφοῦ πρεσβυτέρου. Honesta loquendi ratio, quam item apud Latinos scriptores inveni. Plautus, Curc. I,1,51: »Tam a me pudica est, quasi soror mea sit"; addens jculariter: »Nisi si est osculando quippiam impudicior." Curtius III,12,21: »Virgines enim regias excellentis formae »tam sancte habuit, quam si eodem quo ipse parente ge»nitae forent."

Donatus ad Terentii verba Adelph. IV,2,40. *Censen' hominem me esse?* annotavit: »*Et mire se negat hominem, tamquam homo corde sit, non corpore.*" Ruhnkenius ad Rutilium Lupum p. 114, emendat: *tamquam homo corpore sit, non corde.* Speciose.[1] Et sic jam ante Ruhnkenium legendum putaverat J. Fr. Reitzius, de Ambiguis p. 261. Fortasse tamen vulgata ita explicari possit: »loquitur, »tamquam existimans hominem ratione et intelligentia »hominem esse, non corporis figura." Sic ad illa: *tamquam homo corde sit,* cogitatione supplendum esset: *scil. homo.* Ita saepe loquuntur etiam Graeci, ex. gr. Libanius, Antiochic. p. 368 D: εἰ δὴ τοῖς λόγοις μᾶλλον ἢ τῷ γένει

---

[1] Eodem scilicet transpositionis remedio, quod *lenissimum* Vir Maximus vocaverat ibid. p. 107. Ruhnkenium secuti, transpositionis remedium item lenissimum vocaverunt Frotscherus ad Quinctil. X,7,20. et Heinrichsius ad Scholiast. in Cicer. Orat. pro Scauro § 30.

Ἕλληνα κλητέον: scil. *Ἕλληνα*. Ad sententiam facit locus Ciceronis fragm. de Aere alieno Milonis V, 1: »Nisi vero »lineamentis hominis nomen et figuris positum, non natu»ris putas"; ubi vetus Scholiastes: »Definit hominis pro»prietatem non lineamentis corporum, sed animorum qua»litatibus aestimandam;" et imprimis Arnobii, advers. Gentes lib. I: »omnes omnino qui homines esse non specie »corporum, sed rationis intelligunt potestate."

———

Apulejus, Lib. de Deo Socratis p. 133. ed. Cl. Boschae: »Per hos eosdem [daemonas], ut Plato in Symposio au»tumat, cuncta denuntiata, *et Magorum varia miracula* »omnesque praesagiorum species reguntur." Spectat verba Platonis in Symp. p. 202 E.; cujus loci vitium verissime patefecisse videtur V. Cl. Geel, in Viri Doctiss. Kappeynii dissertatione de Xenophontis Hierone p. 33. Videbatur autem mihi Apulejus in Platone, propius etiam ad vulgatam lectionem, pro *μαντείαν καὶ γοητείαν* una litera minus legisse: *μαγείαν* etc. Ipse Kappeynius p. 34 attulit loca, in quibus *μάγοι* et *γόητες* junguntur: et p. 32 versum Euripidis, in quo *μαντεύματα* librarii scripserunt pro *μαγεύματα*. In Platone alioqui facilis fuit corruptela ex praecedenti *μαντική*. — Haec quum scripsissem ad V. Cl. Geelium, ille sic respondit: »Memini me Kappeynio optionem »dare. Sententia eadem emergit, sive *μαγγανείαν* legas, sive »*μαγείαν*. Quominus *μαγείαν* corrigatur, nunc intercedere »nolim." Haec ille vir Celeberrimus, et juvenibus studiosis benevolentissimus. — Sane iterum Apulejus, eundem locum respiciens, in Apologia p. 498 scripsit: »Quamquam »Platoni credam, inter Deos atque homines, natura et loco »medias quasdam divorum potestates intersitas: easque di»vinationes cunctas *et Magorum miracula* gubernare."

CAP. X.

Elegans est epigramma de funambulo, Anth. Lat. T. I. p. 624:

> Vidi hominem pendere cum via,
> Cui latior erat planta, quam semita.

Locutionem *pendere cum via* usurpavit quoque Ennodius Epist. I,6. de regione scopulosa: »per pericula »pendentium cum via cultorum ante terram per scopulos »opus est seminare, quam germina." Qui certe locus facile fidem faciat in epigrammate illo germanum esse *pendere cum via*, neque ita mutandum, ut voluit Burmannus. Ceterum Salmasius, qui ad Vopisci Carinum c. 19. hoc epigramma produxit et Graece vertit, recte vocavit *αἰνιγματῶδες*. Nam etiam in aliis aenigmatibus eadem orationis forma apparet. Athenaeus X. p. 452 C: *πολλοὶ δὲ γρίφων καὶ τοιοῦτοί τινές εἰσιν· οἷον, Ἄνδρ' εἶδον πυρὶ χαλκὸν ἐπ' ἀνέρι κολλήσαντα* etc. de quo aenigmate vid. Wyttenbachius ad Plut. Mor. p. 154. B.

Nota est formula *ἐπιλείψει με ἡ ἡμέρα*, Latinis: *dies deficiet*, qua veteres uti solebant ad excusandum, si detrectarent sermonem aut narrationem incipere, quam nimis longam fore praevidebant. Exempla quaedam citavit Blomfieldius in Glossario ad Aeschyli Persas v. 436: quae facile esset multis augere, ut ex Graecis Philonis Judaei, Legat. ad Cajum p. m. 1037: *ἐὰν καταλέγωμαι τὰς εἰς ἐμαυτὸν ἐκ σοῦ γενομένας εὐεργεσίας, ἐπιλείψει με ἡ ἡμέρα*; ex Latinis S. Hieronymi, Lib. I. adv. Jovinianum: »Dies me deficiet, si »voluero omnia castitatis praecepta memorare"; et Auctoris Comoediae Queroli I,2,41:

Quod quereris, hodie totum expromito. *Quer.* Dies deficiet ante.

Sed malo loca quaedam scriptorum Latinorum apponere, qui hanc formulam in mente quidem habuerunt, sed eam eleganti verborum circumscriptione ornaverunt. Plautus, Captiv. II, 3, 56:

Si ego item memorem, quae med erga multa fecisti bene,
Nox diem adimat;

quod convenit cum loco Philonis citato. Virgilius Aen. I:

O Dea, si prima repetens ab origine pergam,
Et vacet annales nostrorum audire laborum:
Ante diem clauso componet Vesper Olympo.

Auctor Panegyrici in Pisonem v. 197:

Sed prius emenso Titan mersetur Olympo,
Quam mea tot laudes decurrere carmina possint.

Marius Victor, Epistolâ ad Salmonem Abbatem:

Ante diem, Salmon, tenebris nox humida condet,
Quam possim mores hujus percurrere turbae.

CAP. XI.

Observavit celeberrimus interpres ad Horatii Odas, ipso initio, ubi poëta Maecenatem ita compellavit:

O et praesidium et dulce decus meum!

observavit, inquam, multis exemplis allatis, verba *praesidium* et *decus*, aut alia idem significantia, saepe a veteribus scriptoribus eleganter conjungi. Hujus observationis memor, complures ejus conjunctionis modos, et

in quibusdam rebus commemorandis veluti proprias sedes notavi. Primum solennis est in amici laude, ut loco laudato usurpavit Horatius, et iterum II, 17:

Maecenas, mearum grande decus columenque rerum!

Plinius Epist. VI, 18, 2: »cum nostram familiaritatem, »ut soles praedicare, ad praesidium ornâmentumque tibi »sumseris." Cicero ad Divers. XV, 14: »ego autem sem»per ornamento te mihi fore duxi: fuisti etiam praesidio »tristissimis meis temporibus." Censorinus de Die Natali, c. 3: »cum ex te tuaque amicitia honorem, dignitatem, »decus atque praesidium recipiam." Seneca, ut fertur, carmine ad Crispum:

Solus honor nobis, arx et tutissima nobis!

Symmachus Epist. V, 20: »Pleniora enim praesidia at»que ornamenta de amico praesente caperémus." Agroetius, in Praefat. ad Libellum de Orthographia, extr.: »Vale memor nostri, decus et praesidium meum!" Similiter Tacitus Agricol. 6: »Id matrimonium ad majora »nitenti decus ac robur fuit." Seneca, Consol. ad Marc. c. 17: »juvenem, jam matri, jam patri, praesidium ac »decus." Sic de viro magno in republica, Seneca ibid. c. 20: »Pompejum istius decus firmamentumque im»perii;" quod ornatius extulit Curtius IX, 6, Alexandrum vocans »Macedoniae columen ac sidus."

Item usurpatur de armis: ut Virgilius Aen. V. 262. loricam vocat »decus et tutamen in armis." Sidon. Apollin. Epist. IV, 20: »Eo, quo comebantur ornatu, mu»niebantur." Quod eleganter S. Hieronymus ad animum transtulit in epistolâ ad Nepotianum: »(quatuor virtuti»bus cardinalibus) ex omni parte decoraris, cingeris, »atque protegeris: gemmae vertuntur in scuta."

De templis Libanius in Antiochico p. 356. A: *καὶ γὰρ τὸ πλεῖστον ἦν τῆς πόλεως ἐν τοῖς ἱεροῖς· τὸ γὰρ αὐτὸ κοσμός τε τῇ πόλει καὶ φυλακή, τῶν θεῶν τὰ ἀνακτορά.* Qui locus plane convenit cum verbis Minucii Felicis in Octavio: »Intende templis ac delubris Deorum, quibus »Romana civitas et protegitur et ornatur."

Denique illa hujus locutionis forma memoranda est, qua aliquid esse dicitur *decus in pace, praesidium in bello:* de qua videndus idem interpres ad Virgil. Aen. XI, 658. Sic Cicero Orat. II. contr. Rullum c. 29: »pacis ornamentum, subsidium belli." Idem, Verrina V, c. 47: »a nobis omnia Populo R. semper et belli ad- »jumenta et pacis ornamenta ministrata sunt." Vegetius de Mulomedicina, in Praef.: »In equis enim ac mulis et »adjumenta belli et pacis ornamenta sunt." Josephus Iscanius:

»— quod Marte juvat, quod pace decorum." —

CAP. XII.

In Epigrammate Anacreontis dicitur:

Dingsdag den 21 January 1845, des namiddags ten 12 à 1 ure Promotie met den Tabbaard, kwart voor twaalf ure Senaat.

li ardore
imitatur
meliores
rerum
n bello
impie,
umanas
6 con-

Den Hoog-Gel. Heer Cock

in quibusdam rebus commemorandis veluti proprias sedes notavi. Primum solennis est in amici laude, ut loco laudato usurpavit Horatius, et iterum II, 17:

> Maecenas, mearum grande decus columenque rerum!

Plinius Epist. VI, 18, 2: »cum nostram familiaritatem, »ut soles praedicare, ad praesidium ornamentumque tibi »sumseris." Cicero ad Divers. XV, 14: »ego autem sem»per ornamento te mihi fore duxi: fuisti etiam praesidio »tristissimis meis temporibus." Censorinus de Die Natali, c. 3: »cum ex te tuaque amicitia honorem, dignitatem, »decus atque praesidium recipiam." Seneca, ut fertur, carmine ad Crispum:

> Solus honor nobis, arx et tutissima nobis!

Symmachus Epist. V, 20: »Pleniora enim praesidia at»que ornamenta de amico praesente caperemus." Agroetius, in Praefat. ad Libellum de Orthographia, extr.: »Vale memor nostri, decus et praesidium meum!" Similiter Tacitus Agricol. 6: »Id matrimonium ad majora »nitenti decus ac robur fuit." Seneca, Consol. ad Marc. c. 17: »juvenem, jam matri, jam patri, praesidium ac »decus." Sic de viro magno in republica, Seneca ibid. c. 20: »Pompejum istius decus firmamentumque im»perii;" quod ornatius extulit Curtius IX, 6, Alexandrum vocans »Macedoniae columen ac sidus."

Item usurpatur de armis: ut Virgilius Aen. V. 262. loricam vocat »decus et tutamen in armis." Sidon. Apollin. Epist. IV, 20: »Eo, quo comebantur ornatu, mu»niebantur." Quod eleganter S. Hieronymus ad animum transtulit in epistolâ ad Nepotianum: »(quatuor virtuti»bus cardinalibus) ex omni parte decoraris, cingeris, »atque protegeris: gemmae vertuntur in scuta."



De templis Libanius in Antiochico p. 356. A: *καὶ γὰρ τὸ πλεῖστον ἦν τῆς πόλεως ἐν τοῖς ἱεροῖς· τὸ γὰρ αὐτὸ κοσμός τε τῇ πόλει καὶ φυλακή, τῶν θεῶν τὰ ἀνακτορά.* Qui locus plane convenit cum verbis Minucii Felicis in Octavio: »Intende templis ac delubris Deorum, quibus »Romana civitas et protegitur et ornatur."

Denique illa hujus locutionis forma memoranda est, qua aliquid esse dicitur *decus in pace, praesidium in bello:* de qua videndus idem interpres ad Virgil. Aen. XI, 658. Sic Cicero Orat. II. contr. Rullum c. 29: »pacis ornamentum, subsidium belli." Idem, Verrina V, c. 47: »a nobis omnia Populo R. semper et belli ad»jumenta et pacis ornamenta ministrata sunt." Vegetius de Mulomedicina, in Praef.: »In equis enim ac mulis et »adjumenta belli et pacis ornamenta sunt." Josephus Iscanius:

»— quod Marte juvat, quod pace decorum." —

CAP. XII.

In Epigrammate Anacreontis dicitur:

Ἄρης οὐκ ἀγαθῶν φείδεται ἀλλὰ κακῶν.

Pariter a Minucio Felice in Octavio: »cum belli ardore »saevitur, meliores potius occumbere;" quem imitatur Lactantius Instit. III, 17, 8: »in bellis potius meliores »et vinci et perire." Quod quamvis ex ipsarum rerum ratione ultro sequatur, cum timidi et ignavi in bello pericula vitent: adhibetur tamen ab auctoribus impie, ut Deos aut non curare aut male curare res humanas querantur. Ita etiam in Sophoclis Philoct. v. 436 conqueritur Neoptolemus:

πόλεμος οὐδέν' ἄνδρ' ἑκὼν
αἱρεῖ πονηρόν, ἀλλὰ τοὺς χρηστοὺς ἀεί.

Ac praecipue, postquam retulerat fortissimos quosque Graecorum, ut Patroclum, bello cum Trojanis occidisse, cum superesset omnium vilissimus Thersites, respondet Philoctetes:

ἔμελλ'· ἐπεὶ οὐδέπω κακόν γ' ἀπώλετο,
ἀλλ' εὖ περιστέλλουσιν αὐτὰ δαίμονες.
— τὰ δὲ
δίκαια καὶ τὰ χρήστ' ἀποστέλλουσ' ἀεί.

Eodem Thersitis exemplo in eamdem rem usus est Ovidius, Amor. II, 6, 39, sqq.

Optima prima fere manibus rapiuntur avaris:
Implentur numeris deteriora suis.
Tristia Phylacidae Thersites funera vidit, etc.

et Schillerus, poetarum Germanicorum princeps, pulcherrimis versibus in carmine: *das Siegesfest:*

Ohne Wahl vertheilt die Gaben,
Ohne Billigkeit das Glück:
Denn Patroklus liegt begraben,
Und Thersites kommt zurück!

et mox:

Ja, der Krieg verschlingt die Besten!

Ac Schillero quidem illo in loco Sophocles ante oculos fuisse videtur.

CAP. XIII.

In *Merobaude*, Carm. III. v. 1:

Explicat aestivas ramis errantibus umbras,
Frigoris arcani silva referta gelu;

Ubi primae vocis primam syllabam, quae in unico Codice deest, ita, ut posui, supplevit summus Niebuhrius: po-

tius supplendum videtur: *Implicat*, propter manifestam imitationem Calpurnii, Ecloga I. v. 12:

— ubi fagus aquas radice sub ima
Protegit, et ramis errantibus implicat umbras.

Acumen versus secundi, et sequentium horum:

Nec commune sibi tempus permittit et anno,
Privatamque hyemem frondea tecta tenent;

ductum esse videtur ex Claudiano, de Raptu Proserp. II, 105:

Silvaque torrentes ramorum frigore soles
Temperat, et medio brumam sibi vindicat aestu.

Ceterum fons sententiae ex ipsa natura petita est: ut etiam Virgilius *frigus* de umbra dixit, Ecl. I. v. 53, ubi vid. Serv., et II. v. 8. — Sed neque illam locutionem: *frondea tecta* de suo habet Merobaudes: debet enim, nisi fallor, Virgilio, Georg. IV, 61:

— aquas dulces, et frondea semper
Tecta petunt:

a quo eamdem petierunt alii, ut Venantius Fortunatus in Hymno de resurrectione Domini:

Jam reparat viridans frondea tecta nemus.

Idem in poemate de horto Ultrogothonis Reginae:

Hic tener aestivas defendit pampinus umbras,
Praebet et uviferis frondea tecta comis.

quem locum expressum putabat Burmannus ex Virg. Georg. I, 448:

Heu! male tum mitis defendet pampinus uvas.

Sed *pampinus* recte *uvas defendere* dicitur; ut vero dicatur *umbras defendere*, plane est contrarium et rei na-

turae et verborum in Fortunato contextui. Quare emendandum esse conjeci:

Hic tener aestivas diffundit pampinus umbras;

eadem plane locutione, qua usus est Petronius, cap. 131:

Nobilis aestivas platanus diffuderat umbras.

Notandum simul, pariter hic dici *umbras aestivas*, atque in loco Merobaudis, quem tractavimus. Ceterum apud Virgilium l. c. jungenda sunt: *mitis* (*s. mites*) *uvas*; quamvis veteres *mitis pampinus* junxisse possint videri, idque imitatione sua expressisse: Palladius, de Insition. v. 49:

Degenerisque comae fastigia mitis inumbrat
Pampinus;

et Sedulius, Carm. Paschalis III, 11:

Mitis inocciduas enutrit pampinus uvas.

Sed quoniam video mihi aliud ex alio subnasci, hic subsisto, hoc brevissimum specimen progressuum meorum in literis proposuisse contentus, majora aliquando maturiore aetate, si Deus juverit, daturus.

APPENDIX.

DE ARUSIANI MESSII EXEMPLIS ELOCUTIONUM.

CAPUT PRIMUM,

Quo de auctore hujus Libelli disseritur.

Athenaeum Amstelodamense, antiquarum quoque literarum insigne semper decus et praesidium, praecedenti seculo illustravit Petrus Burmannus Secundus. Cujus viri egregiae diligentiae ut testes sunt praeclara opera, ita magnum documentum praebuit ejusdem bibliotheca, ditissima libris ineditis, quos magnam partem ipse sua manu descripserat. In his fuerunt duo apographa Quadrigae Arusiani Messii tum nondum typis vulgatae: unum, quod ipse descripserat ex Codice D'Orvillii: alterum alia manu scriptum, quod *apographum secundum* dicemus. Utrumque communicavit cum Petro Bondamo, qui quanto studio veteribus Grammaticis Latinis operam dederit, abunde testantur ejus Variarum Lectionum libri duo, editi Zutphaniae A. 1759. Is anno 1760 alterum apographum descripsit, ex altero excerpsit variantes lectiones, eo consilio ut aliquando hunc librum, notis suis illustratum, in lucem proferret. Atque editionem revera inchoavit, sed non perfecit: ut

notum est ex Saxii Onomastico, Vol. I. p. 511, narrantis, Bondamianae editionis non plus quam duo folia forma maxima typis descripta esse. Horum foliorum exemplum una cum apographo Ms., a Bondamo confecto, asservantur in Bibliotheca Academiae Lugduno-Batavae, unde nos in hocce libello ea proferemus, quae ad literarum emolumentum nonnihil facere videantur.

Bondamus libri inscriptionem ita constituit: *Arusiani Messl VC. GR. Comitis Primi Ordinis Quadriga sive Exempla Elocutionum ex Virgilio, Sallustio, Terentio, Cicerone digesta per literas*; atque haec scripserat in nota:

Titulus hujus libelli in ambobus exemplaribus apographis, quae ex instructissima sua Bibliotheca nobiscum communicaverat Celeberrimus P. Burmannus Secundus, sequenti modo se habebat, *Arusiani Messi VC. or. Comitis primi ordinis Exempla Elocutionum, ex Virgilio, Sallustio, Terentio, Cicerone digesta per literas.* cur ab hac Mss. lectione recedendum putaverim, et eo, quo vides, modo titulum edendum curaverim, variae me impulerunt rationes. Et quidem pro *Messi* legendum existimo *Messl*, id est *Messii*; Nostrum enim non *Messum*, licet a Nic. Heinsio, qui Neapoli hunc libellum manu sua descripsit, in Syllog. Epist. Burmann. Tom. III. p. 181 et 184. ab Is. Vossio d. l. p. 569 et 579. a Jo. Pierio in Castig. ad Virgil. Ecl. I, 80 et Georg. I, 290. nec non Lud. Carrione in Schol. ad Sallustii Hist. Fragm. p. 117. 122. 125. 142. 143. 145. 146. 160. et aliis ita vocetur; sed *Messium* cum Jo. Fr. Gronovio in d. Syll. Epist. Tom. III. p. 184. Burmanno Secundo ad Anthol. Lat. Tom. I. p. 119. 122. 125. 155. 160. 173 et alibi, ipso quin imo Heinsio advers. II, 3, p. 229. III, 3. p. 421. et ad Valer. Flacc. I, 79. III. 737. V, 551, sicut et in notis ad Virgilium saepius, aliisque appellandum esse mihi persuadeo, tum ob testimonium Cassiodorii, mox laudandum, tum praecipue quia *Messii* nomen in Inscriptionibus aliisque veteris aevi monumentis admodum frequens. Sic *L. Geminus L. F. Messius* occurrit apud Apianum pag. XXXI, 1. qui alio ordine apud Gruterum p. XLIII, 11. *L. Messius L. F. Geminus.* Sic *Messl Romuli* memoria exstat in lapide apud Reinesium Cl. XX n. 354. ΜΕΣΣΙΟΣ ΦΛΑΚΚΟΣ forte memoratur apud Eumdem Cl. I n. 72. alios *Messios* suppeditare possunt Gruter. p. CXCVIII, 2. CCXLI. DCCCLXXXI, 2. DCCCCXVIII, 14,

aliisque in locis, Sert. Ursatus mon. Pat. p. 236. Malvas. marm. Felsin. p. 226. Gorius Inscr. Flor. p. 12. Glandorp. Onom. Rom. p. 601. Ant. Augustinus de nomin. propriis Pand. Cap. I. Thes. Jur. Otton. Tom. I. p. 255, aliique. *Messium* JCtum, qui cum Papiniano in eodem auditorio sedit, uti constat ex L. ult. ff. *de Jure Fisci*, quemque, notante G. Grotio de Vit. JCt. II, 11, § 7. cum *M. Maecio Fusco*, consule, et L. Turpilii Dextri collega, male Bertrandus de Jurisp. II. 41. confundit, non improbabili argumento Majansius in Comm. ad XXX JCtor. fragm. Tom. II. p. 323. eumdem putat, ac *T. Messium Extricatum*, qui A. U. C. 970, sive A. Christi 217. cum C. Bruttio Praesente II. Consul fuit, uti constat ex lapide apud Gruterum p. ccc. 1. licet numerum omittat Norisius de ann. et Epoch. Syr. Maced. Diss. II. C. 1. p. 73. Vid. Almeloveen. fast. consul. p. 277. quamquam Jos. Anton. Brunus Dissert. IV. p. 80. JCtum illum eumdem esse conjiciat ac *L. Messium Rusticum* qui sub Hadriano Alvei Tiberis et Cloacarum Romae Curator fuit, cujusque memoriam conservavit lapis apud Gruterum p. cxcvii, 5. et cxcviii, 2. — Cum autem titulos honorum, qui nostro adscribuntur, ambo nostri Codd. referrent *VC. or. Comitis primi ordinis*, dubius diu haesi, quid pro τῷ *or.* esset substituendum. *VC.* significare *Virum Clarissimum*, notum satis est. praeter alios vid. S. Ursatus Mon. Patav. p. 241. Auctor Notarum Juridicarum p. 1670. Edit. Putschii: *C. V. Clarissimi Viri. C. M. V. Clarissimi mores viri.* ubi legendum esse *Clarissimae memoriae viri*, ex Magnone, et aliunde, facile ostendi potest. Fuit autem, cum conjicerem, alterum *C* negligentia librariorum ob praecedentem literam eamdem fuisse omissum, legendumque *VC. C. OP.* ejusque ultimae notae expositionem, ab alio forte margini adscriptam, postea cum ipsa nota cohaesisse, hincque rationem petendam, cur τὰ *Comitis primi ordinis* in Codd. inter titulos hos compareant. ita sane Magno p. 1546. et Notarum Juridic. Auctor d. l. notam *C. O. P.* explicant per *Comites Ordinis Primi.* Pari modo literas illas singulares *Fl. Int. All. Com. Ord. Pr.* quas in Notitia Imperii pag. 61. 79. 86. 88. 89. 91. et alibi, praeferunt codicilli dignitatum, interpretandas esse, *Feliciter. Inter allectos Comites ordinis primi*, censet Jac. Gothofredus ad L. un. C. Theod. *de Comit. et Trib. Schol.* T. II. p. 100. B. — Sed vero, licet probabilitate sua non destituatur illa conjectura, vel sic tamen mallem pro *OR.* legere *GR.* id est *Grammatici;* ad quam emendationem ducere nos videtur Cod. MS. unde titulum libri producit J. A. Fabricius B. L. Vol. III. pag. 914. quae

sequenti modo se habet, *Arusiani Messii primi ordinis V. C. CR. Comitis elocutionum libellus*. *CR* enim a solenni nota *GR* vix differt. Et sane *Grammatici* titulum inter ceteras dignitates non sine ambitione sibi praecipue attribuisse illos, quibus Grammaticae profitendae munus publica auctoritate fuerat demandatum, qualis etiam Messius noster fuit, ut eo titulo se discernerent a ceteris magistris, et literatoribus, qui numero Professorum non erant, nec ex Cathedra, ut Grammatici, sed sellis insidentes docebant, notissimum est. Hinc Ausonius Profess. Carm VII, 9, de Leontio Grammatico:

Literis tantum titulum assecutus,
Quantus exili satis est cathedrae,
Posset insertus numero ut videri
Grammaticorum.

Idem de Jucundo, Grammatico Burdigalensi, Carm. IX, 1:

Et te, quem cathedram temere usurpasse loquuntur,
Nomen Grammatici nec meruisse putant,
Voce ciebo tamen —
Quod, quamvis impar, nomen tam nobile amasti,
Es meritos inter commemorande viros.

quorum verborum sensus huc redit, quod, quamvis impar fuerit ingenii viribus Jucundus, atque hinc cathedram ac munus Professoris publici, nomenque Grammatici, temere eum ambivisse putaverint homines, tamen illum sibi commemorandum existimaverit inter ceteros viros, qui Burdigalae idem munus publice professi non tantum fuerant, sed etiam ob eruditionem suam nomen illud merebantur, ideo quod in numerum Professorum publica auctoritate fuerat cooptatus, ac proinde nomen Grammatici sibi arrogaverat. Atque hinc est, quod Magistri a Grammaticis distinguantur in L. ult. § ult. ff. *de muner. et honoribus;* sicuti etiam ludi literarii magistri a liberalium studiorum Professoribus, inter quos Grammatici, distinguuntur in L. 1. § 1. et 6. ff. *de extr. cognitt.* quibus in Legibus sine dubio per Grammaticos nulli alii intelligendi sunt, nisi illi, qui, ut in §. 15. I. *de Excus. tut.* legitur, intra numerum sunt, seu, publico stipendio invitati, artem Grammaticam in publicis scholis, sive Romae sive Cpoli, sive aliis in urbibus, docent, diversi multum ab illis Magistris, qui vel rudibus pueris prima elementa dabant, ut loquitur Ausonius in Profess. Carm. X. 34. conf. Wower

Polymath. C. IV. p. 36. vel etiam privatim, non publica auctoritate, docebant. Non mirum itaque, tot in antiquis monumentis adhucdum inveniri, qui splendido hoc Grammatici titulo superbiunt. Sic *M. Pompilius Fortunatus Grammaticus*, et *Sex. Pompejus Daphnis Grammaticus* occurrunt apud Grut. p. DCLII,9. 10. Sic *M. Mettius Epaphroditus Grammaticus Graecus* apud eumdem p. DCLIII,3. et *P. Atilius P. F. Ouf. Septicianus Grammaticus Latinus* p. CCCLXVII,5. plures alii facili opera ex indicibus colligi et addi possunt. Quin et saepius nomen urbis, in qua publice Grammaticam professi fuerant, additur. Sic Priscianus *Grammaticum Caesariensem*, Cledonius *Constantinopolitanum*, Rufinus *Antiochensem* se vocaverunt, pari modo *M. Ulpius Dioxippus Grammaticus Portuen.* vocatur in Inscriptione apud Gudium p. CCIII,3. — Atque hunc honoris titulum, nomenque *Grammatici* optimo jure sibi arrogare etiam potuisse Arusianum nostrum, negari non poterit, cum certum sit, eum publica auctoritate Grammaticam non tantum professum, et intra numerum Professorum, qui liberalia studia sive Cpoli sive Romae docebant, annumeratum fuisse; sed et post viginti annorum stipendia studiis suis quietem impetravisse, pari modo ac Quinctilianus de se ipse gloriatur in prooemio Inst. Orat. abunde patere potest ex Comitiva primi Ordinis, qua honoratus fuit, et his, qui sunt Exvicaria dignitate, connumeratus, juxta praescriptum L. un. C. *de Professor. qui in Urbe Cpolitana docentes ex Lege meruerunt Comitivam.* Lib XII. Tit. 15. — Sed idem ille titulus *Comitis primi Ordinis* ad aetatem Grammatici nostri constituendam nos ducere poterit. Primus enim Theodosius Junior anno 425 Grammaticos Graecos Helladium et Syrianum, et Latinum Theophilum, honoravit Codicillis Comitivae primi Ordinis, constituitque, ut omnes alii, si laudabilem in se probis moribus vitam esse monstraverint; si docendi peritiam facundiamque dicendi, interpretandi subtilitatem, copiamque disserendi se habere patefecerint; et Coetu Amplissimo judicante digni fuerint aestimati, qui in memorato auditorio Professorum fungantur officio, cum ad viginti annos jugi ac sedulo docendi labore pervenerint, iisdem, quibus praedicti viri, Helladius, Syrianus, et Theophilus, dignitatibus perfruantur. Ex quibus Constitutionis Theodosianae verbis, quae extat Cod. Theod. Lib. VI. Tit. XXI. Tom II. p. 113. non tantum certum est, Arusianum nostrum post emerita viginti annorum stipendia demum ad honorem Comitivae primi Ordinis evectum fuisse, sed et post illud tempus, quo Grammaticis Professoribus privilegium hoc indultum fuit, vixisse. Qualis

autem fuerit dignitas Comitum primi, nec non secundi, et tertii Ordinis, ne longior sim, peti poterit ex Jo. Seldeno tit. honor. P. II. c. 2. p. 29. Gutherio de Off. dom. Aug. Lib. I. C. 45. p. 305. et Jac. Gothofredo ad L. un. C. Theod. *de Comitibus et Tribunis Scholarum* Tom II. p. 100 aliisque. Cum autem non *primi* tantum, sed *secundi*, et *tertii* ordinis comites fuerint, facile patet, in mutilo illo monumento apud Gudium p. CXLIII. 2.

. . PI.V̄.C.COMITIS

. . II. SEVERI.V̄.C̄. etc.

mentionem factam fuisse *Comitis* ORD. II. sive *Ordinis secundi.* — Libello autem suo duplicem titulum praescripserat Messius noster, quorum priorem, nisi aliunde cognosceretur, librariorum negligentia plane obscuravisset. Cum enim ex quatuor Scriptoribus haec Elocutionum exempla excerpsit, inde occasio ei nata videtur libellum hunc suum *Quadrigae* nomine insignire; quem titulum, licet in Mss. nullum ejus exstet vestigium, libello praefigere nullus dubitavi, motus praecipue auctoritate Cassiodorii, cujus paucula verba hic subjecisse operae erit pretium. *Nec illa verba*, inquit, De inst. divin. liter. Cap. XV. Oper. Tom. II. p. 517, B. *tangenda sunt, quae interdum contra artem quidem humanam posita reperiuntur, sed auctoritate multorum Codicum vindicantur*; — *Et quoniam interdum casus, generaque nominum, vel temporum* (forte: *verborum*, nisi quis malit: *tempora.*[1]) *humanis regulis nequeunt convenire; sed tamen eorum usum Ecclesiasticus consensus amplectitur, duorum vel trium priscorum emendatorumque Codicum auctoritas inquiratur; — et praesumi non liceat, quod divino vindicatur eloquio, ut est* cet. — Regulas *igitur* Elocutionum *Latinarum, id est* Quadrigam Messii, *omnimodis non sequaris, ubi tamen priscorum Codicum auctoritate convinceris. Expedit enim interdum praetermittere humanarum formulas dictionum, et divini magis eloquii custodire mensuram.* Ex quo loco non tantum veram et genuinam libelli inscriptionem cognoscimus, sed, cum Cassiodorius ad Quadrigam illam Messii, sive *Exempla*, uti in nostris Codd. legitur, seu *Regulas Elocutionum* provocet, inde sequi debet, jam ante id tempus, quo illum librum Cassiodorius scribebat, hunc nostrum conscriptum fuisse a Messio; ut adeoque, cum noster post annum demum 425 floruerit, necessario aetatem ejus medio seculo quinto, vel ad finem vergente, incidisse, eumque, si non paulo antiquiorem, saltem Cassiodorio aetate parem fuisse, statuendum sit.

---

[1] Utraque vox conjungenda videtur sic: *casus generaque nominum, vel tempora verborum.*

Haec ad titulum libri Bondamus, quae, quamvis longiora, describere non piguit, quoniam cum Saxius in Onomastico l. l. Arusiani aetatem ex illius auctoritate ad annum circiter 450 retulerit, putavimus gratum futurum viris doctis, si cognovissent quibus argumentis usus hoc tempore floruisse nostrum Bondamus statuerit. Ceterum ad ea quae notavit haec liceat addere:

I. In quibusdam Codicibus, observante etiam Rhodio ad Scribon. Larg. p. 344, hic libellus tribuitur Cornelio Frontoni. Talibus usi sunt antiqui literatores qui sub ejus nomine citaverunt: tales sine dubio voluit Pierius ad Virg. Ecl. 1. 80. dicens Arusiani Messi libellum falso sub alterius nomine circumferri: nec Bondamus dubitabat: »quin per *Corn. Frontonis Elegantias Latinas*, qua»rum ex Raph. Volaterrano meminisset Gesnerus in Bibl. »p. 187. B. ipsae hae Messii nostri Elocutiones intelligendae »sint": quod postea notavit quoque A. Majus: qui et ipse quinque Codices excussit, in quibus Cornelio Frontoni hoc opusculum tribuitur. Et Majus quidem non dubitavit Frontoni suo hoc opusculum asserere: sed ejus opinionem recte rejecit alter Frontonis editor, vir summus, Niebuhrius: cujus judicio grave accedit pondus ex testimonio Cassiodori, qui cum dubitari vix possit quin hunc libellum loco citato spectaverit, ejus auctorem Arusianum Messium esse, facit certissimum. Non audiendus igitur Majus, qui in altera Frontonis editione, quae Romae prodiit, hoc etiam Cassiodori loco, quem tum ipse repererat, permoveri non potuit, ut hunc libellum Frontoni prorsus abjudicaret: sed pro vero potius habendum est, quod in fronte Gudiani apographi notatum reperit Lindemannus: *In aliquibus codicibus pro Arusiani Messi male irrepsit Cornelii Frontonis;* cui simile est quod eodem loco in Burmanniano scriptum est: *Arusiani. a quibusdam substi-*

tutum erat Cornelii Frontonis, improbe. [1] Sane error hic quam sit antiquus apparet, qui in tot scriptis Codicibus inveniatur.

II. Quoniam apud nonnullos memorari video *Arusianum seu Volusianum;* monendum est, istam varietatem ortam videri ex lapsu N. Heinsii. Nam is, cum Neapoli versaretur, scribens ad Gronovium in Syll. Epist. Burm. V. III. p. 181. hunc auctorem vocat *Volusianum Messum:* qua in re eum secutus est ipse Gronovius literis responsoriis ibid. p. 184. Heinsius tum nondum in describendo hoc Grammatico versabatur, et forte titulum Codicis nonnisi negligentius inspexerat: aut, cum ista scriberet, memoriâ erravit. Certe in sequenti epistola p. 184, jam in Codice describendo occupatus, recte vocat *Arusianum,* et hoc nomine deinde constanter nostrum citavit, ut non credibile sit, eum aliud in Ms. quo usus est reperisse.

III. Bondamus cum multa de titulis Arusiani acute disputaret, non suspicatus est illud *Or.* quod in Codd. suis invenerat, invenitque in Gudiano Lindemannus, bene posse explicari, quod postea monuit Ruhnkenius in

---

[1] Unde patet hoc apographum descriptum esse ex Neapolitano Codice. Nam Majus, ad calcem editionis Romanae Frontonis p. 421. de Neapolitanis Codd. haec, a Niebuhrio edoctus, scripsit: »Libelli *exemplorum eloc.* »duo sunt in regia Neapol. bibliotheca recentes Codices, alter nempe Par»rhasii manu, ut creditur, scriptus, alter item aetatis ejusdem. In utroque »Codice titulus est: *Arusiani Messii. vc. or. comitis primi ordinis exempla* »*elocutionum ex Virg. Sall. Ter. Cic. digesta per litteras.* In prioris Codicis »margine manu Parrhasii haec sunt: *Arusiani. A quibusdam substitutum* »*erat Cornelii Frontonis. Improbe.* In alio quoque Codice supra Arusiani ti»tulum scribitur literis evanidis: *Cornelii Frontonis.* Ergo hoc saltem con»stat, in Codicibus quoque Neap., secundum aliquorum sententiam libel»lum hunc Frontoni tribui." (Recte; sed falso id fieri, docet Cassiodori locus.) Ceterum etiam Pierius ad Virg. Ecl. 1, v. 80. ex Jani Parrhasii bibliotheca Arusiani exemplar se usurpasse refert: adeoque usus est eodem.

Praef. ad. Rutil. Lup. p. XXVI. his verbis: »Arusiani »Messii Elocutionum exempla hunc titulum praeferunt: »*Arusiani Messii V. C. Or. Comitis primi ordinis Qua*»*driga*, etc. ubi *Or.* non in *Gr.* mutandum, ut sit *Gram*»*matici*, sed explicandum *Oratoris*, ut Donatus in titulo »Scholiorum in Terentium dicitur *V. C. Orator Urbis* »*Romae.*" quibus sine dubio respexit Bondami conjecturam, quem *Or.* in *Gr.* mutantem audivimus, cuique multum sane favet scriptura apud Fabricium *CR.* — Ruhnkenii auctoritatem secuti sunt Saxius, Onomastico l. l., et Heinrichsius ad Ciceronis Orat. pro Scauro § 36, cujus annotatio, uti et Beieri ad eundem locum, de hoc libello conferri meretur.

IV. De ipso libello pauca, quae dicam, habeo. Ex quatuor tantum scriptoribus, Virgilio, Sallustio, Terentio et Cicerone elocutionum formulas Arusianum excerpsisse, nemo mirabitur, qui hos scriptores et in scholis prae caeteris lectitatos et a Grammaticis fere solos in testimonium passim advocari observaverit: ut adeo hi Latinae orationis veluti classici auctores antiquitus habiti esse videantur, ratione non multum diversa a classibus Graecorum scriptorum, quas olim descripserunt Critici Alexandrini. Arusiani autem opusculum aliquando magni fuisse nominis, et ipsum quoque quasi classicum in hoc genere habitum, ac pro norma scribendi esse usurpatum, apparere mihi videtur ex verbis Cassiodori. Quamquam tunc plenius aliquanto et amplius fuisse crediderim, quam nunc esse videmus. Quantopere enim tales Grammaticorum libri epitomatorum manu, ab alio post alium, in brevius semper redacti fuerint, luculento exemplo testatur ipse hic libellus: qui in quinque codicibus, quos Majus versavit, omnibus, multo brevior et contractior legitur, quam etiamnunc exstat in apographo Lindemanni, Neapolitano et

Lugdunensibus. Eandem sortem subierunt Grammaticorum in veteres auctores Commentarii. Servianos, ut hoc utar, in Virgilium passim in codicibus reperiri in epitomen redactos, testantur eruditi: et omnino in aliis Mss. pleniores in aliis minus pleni leguntur. Neque adeo probandum mihi videtur, quod viri docti, inter quos Burmannus, omnia quae in quibusdam Servii Mss. non repperissent, quasi minus genuina, uncis incluserint: cum multo sit probabilius, a quibusdam librariis germana Servii verba brevitatis causa omissa fuisse. Quod tamen non ita universe dictum intelligi velim, quasi non multa quoque aliena ac spuria et huic et aliis passim Grammaticis a librariis inserta fuerint: cujus rei item luculentum exemplum habemus in Arusiano nostro, ut Capite sequenti apparebit [1].

---

[1] De *Elocutionum* nomine Burmannus ad calcem apographi haec notavit: »*Elocutionum* titulus ab Arusiano huic libello inscriptus, ut *Carminium de* »*Elocutionibus* laudat Serv. ad Virg. V. Aen. 233. Hoc titulo libellum in»scribendum esse, patet ex ipso Arusiano, in: *Memini illum fecisse*, ubi »dicit: *hujus elocutionis non invenitur exemplum*. vid. et in: *His effusus. Elo»cutio Sallustiana*." — Addidit Bondamus ibidem: »Vocem autem *elocutio»num* eodem sensu Grammatici saepe adhibent. Ita Servius p. 1787. l. 13. »et saepius, cui etiam ibid. l. 41. pro *locutionem* ex editione Paris. resti»tuendum est *elocutionem*. Ita p. 1796,18. et alibi ex Cod. Meermanni." — Sic Servius ad VIII Aen. 107 et 454: *honesta elocutio est;* pro quo ad Ecl. 9, v. 23: *honesta locutio est*. Idem ad VIII Aen. 114 et 599: *bona elocutio;* et similia passim alibi.

CAPUT SECUNDUM,

Quo Arusiani loca quaedam ope Mss. supplentur et emendantur.

Loca indicabimus numeris paginarum editionis Lindemannianae T. I. Corporis Grammaticorum Latinorum veterum.

p. 211. in *Ad et apud* etc. — : *Sed gravius his adfertur exemplum* (*e*) *prima Actione in Verrem.* Mss. Leidd. ut Angeli Maji: *grave his:* unde ita lege: *gravius adfertur exemplum.* Lectio Cod. Gud. ex correctione orta videtur.

p. 213. in *Admovit ad hanc:* — Verissime ad haec Bondamus: »forte in duos articulos dividenda, ut ante Vir»gilii locum exciderit *Admovit huic rei*, ut saepe alias." Nisi malis *admovit huic*, sine *rei:* quae vox etiam in formula *Admovit ad hanc* omittitur.

p. 217. in calce literae *a.* — Glossas ex Symmacho h. l. et p. 244 ita plane exhibet utrumque Ms. ut in Gud. invenit Lindemannus. Recte ille ejecit, quamvis in Praefatione ea de re dubitasse videatur. Non dubitavit Bondamus, qui ad h. l. scripsit: »Insititia haec esse facile »patet ex testimonio Cassiodorii qui Messium nostrum *qua»drigam* scripsisse testatur, id est, sua ex quatuor scrip»toribus Virgilio, Terentio, Cicerone, et Sallustio desump»sisse. Nullus itaque locus Symmacho esse potest: postea »ab alio addita haec videntur." Adde quod etiam in titulo quem Mss. praeferunt ex his tantum auctoribus exempla petita esse dicantur. Et h. l. eo facilius de additamento potest exsistere suspicio, quoniam in fine literae glossa ista legitur. Simili fraude in Timaei Lexico Platonico semel

Porphyrius laudatur, itemque glossae Herodoteae insertae sunt. vid. Ruhnken. in Praef. — Ceterum duo ista loca ex Symmachi Panegyrico in Theodosium addantur illius Orationum fragmentis, editis ab Ang. Majo.

p. 218. in *Certamen illi cum illo est.* Sequens formula sic editur: *Certamen est cum illo:* sed sic nihil differt ab hac praecedenti. Vocem addunt Leidd. Codd. et Gud. : *Certamen est illi cum illo;* in quibus verbis recte Burmannus Sec. in marg. pro *illi* corrigit *ille.* Servius ad eumdem Virgilii locum, quem spectat haec glossa: »Figurate locutus »est: Magnum certamen ille cum illo erat."

p. 226. in *Experior hoc facere.* In hoc articulo Arusianum egregie supplent nostra Mss. in quibus post illa: *Experior illam rem: — experiuntur:* nova formula additur hoc modo: *Experior hanc rem et hac re. Terent. Eunuch. omnia prius experiri, quam armis* etc.

p. 229: (*Exsequias ire*) Ita ex conjectura supplevit Lindemannus. Aliud praebent Codd. Leidd.: *Exsequias vadit.*

p. 231. Ista: *Filius familiae vel mater familiae* non conspiciuntur in Leidd. Codd. qui sequentia ita exhibent: *Filii familiarum vel matres familiarum. Sallust. Bell. Cat. filii familiarum etc.* Locus est in Cap. 43: quem deinde in apographo primo sequitur locus Ciceronis ex Verrina: sed in apographo secundo huic praemittitur etiam alterum Sallustii exemplum ibid. cap. 51. *matres familiarum pati.* Adde igitur: *Idem ibidem. Matres familiarum pati:* et hinc Arusianum duobus exemplis ex Sallustio auge.

p. 235. *Incumbo in illam rem* etc. Hunc articulum, qui hic exempla variarum constructionum verbi *induere* importune separat, transpone et rejice superius ad finem articuli: *Incumbo illi rei.*

p. 238. in *In verbera*: etc. Post verba *in quantum queo*, sequitur in Leidd. Mss. hic articulus:

Interea loci. Terent. Eunuch. te interea loci. *Idem Heaut.* Tu interea loci.

cujus articuli reliquias in Cod. Gud. videsis apud Lindemannum in nota.

p. 239. pro *Inhorruit his*: utrumque apogr.: *Inhorruit illa res illa re*; recte, et sic legi postulat etiam scriptura Cod. Gudiani.

p. 240. in *In praepositio*: in illis; *In illa re veniens pro illi rei proveniens; vel in illa re digne sui feliciter nascens.* Codd. Leidd. legunt: *digne seu feliciter.*

p. 241. pro *Impedit illos illa re* emenda *illa res*; et in sequenti formula, cum nostri Codd., ut Gud., exhibeant: *Impedit illius illa res ab illa re*, emenda: *Impedit illos illa* etc.

p. 244. pro *Kalco huic* Leidd: *Kalca huic*, quod placet.

Ibid. In: *Litandum illa.* Post verbum: *Argolica*, haec nova addunt Leidd. apographa:

Litatis illis rebus. Virg. Aen. IV. sacrisque litatis.

p. 247. *Molior tibi rem.* Iterum Arusianum egregie supplent apographa nostra quae ita praeferunt:

Molior illam rem. Virg. Aen. VII. Moliri jam terra videt.

Molior tibi illam. etc. —

Locus ex VII Aen. est v. 290, unde pro *terra* leg. *tecta.*

p. 248. *Mille librarum mutuo* (*mutuum* nostri Codd.) *dedit.* In exemplo Terentii pro *argenti mille dederat mutuo*, etiam Leidd. Codd., ut Gud., habent: *argenti minus habet uno.* Bondamus inde eruit veram lectionem; adnotans:

»In duos articulos haec dividenda sunt:

»*Mille librarum mutuum dedit. Terentius Heaut.*
»cui dragmarum haec argenti mille dederat mu-
»tuum.
»*Minus habet uno. Cicero de Praet. Urb:* etc.” — ead. pag. haec apud Lindemannum leguntur:
Nescius hoc facere. Virg. Georg. II. Nescius hoc fieri. *Idem Aen. XII.* Et nescia vinci pectora. *Idem Georg. II.* At secura quies et nescia fallere vita.

Lindemannus annotat, verba illa: *Nescius hoc fieri* in secundo Georgicorum nusquam legi: itaque in Indice hunc retulit inter locos scriptorum quos reperire non potuit. Nil miror: nam sunt verba Arusiani, non Virgilii, ut patet ex apographis Leidensibus, ubi haec ita exhibentur:

Nescius hoc facere. Virg. Georg. II.
Nescius hoc fieri. Virg. Aen. XII. Nescia vinci pectora. *Idem Georg. lib. II.* At secura quies et nescia fallere vita.

Facile librariorum errorem corrigas haec ita transponendo:

Nescius hoc facere. Virg. Georg. II. At secura quies et nescia fallere vita.
Nescius hoc fieri. Virg. Aen. XII. Nescia vinci pectora.

p. 249. summâ, pro: *Et hanc rem*, utrumque apographum: *Nitens hanc rem hac re;* quomodo exhiberet sine dubio etiam Cod. Gud., nisi hoc loco esset mutilus.
p. 251. Describam hic totum articulum, quia est ex praestantioribus: »Post *praepositionem accusativi casus* »*asserunt quidam interpositu fieri casus alterius. Idem VI:* »Longo post tempore visum. *Sal. B. Cat.* Multos post »annos. *Terentius tamen*” [hanc particulam inseruit Lin-

dem.; non habent eam etiam Leidd.] »*nec interposuit et* »*casum illi ablativum dedit, in Hecyr:* Ajunt tecum post »duobus concubuisse eam mensibus." — Pro *interpositu* Leidd. Codd. melius, ut videtur: *interpositam:* et sic legit, qui Arusiani verba ita in brevius contraxit: »Post *interpo-* »*sita fit casus alterius:*" quomodo habent Codd. Ang. Maji. Mox ad illud *alterius* notaverat Bondamus: »forte »corruptum ex male intellecta abbreviatione *ablti*, id est »*ablativi. alt'i* scribunt pro *alteri;* haec sane vicina." Deinde non videtur de nihilo, quod in exemplo Virgilii pro *visum* in Cod. Ang. Maji sit *venit.* Verba: *longo post tempore venit*, leguntur alio loco apud Virgilium, Ecl. I. v. 30. Et fortasse utrumque citaverat Arusianus, sed male confuderunt librarii. Tandem exemplum Sallustii plane contrarium est ejus sententiae. Unde suspicor et ibi quaedam omissa esse, et Arusianum in talem fere modum scripsisse:

> Post *praepositionem accusativi casus, asserunt quidam, interpositam, fieri casus ablativi. ut Virg. Bucol:* longo post tempore venit. *Idem Aen. VI:* Longo post tempore visum. *Sallustius tamen accusativo junxit, Bell. Catil:* Multos post annos; *Terentius nec interposuit praepositionem et casum illi ablativum dedit, in Hecyr.* etc.

Verba, quae inserui, sumsi ex illis quibus usus est epitomator in Codd. Maji: quaeque ex ipso Arusiano eum transtulisse probabile est.

p. 252. in *Praesidet huic rei.* Hic quaedam turbata sunt apud Lindemannum, quae ita in ordinem redigunt Codd. Leidd.:

> *Praesidet huic rei. Virg. Aen. III.* Geticis qui praesidet arvis. *Idem Aen. VII.* quis juppiter anxyrus arvis praesidet.

Praesidet in illa re. Sallust. Catil. in agro Piceno praesidebat.

p. 254. In *Projectus in hac re.* Codd. Leid. pro *Projectus hac re:* habent: *P. huic rei.* Rectissime; idque pertinet ad *terrae*, quod est apud Virgilium.

p. 258. in *Resonat.* Leidd. melius: *Resonat ille carmine illum locum*, pro: *illo carm.*

ibidem pro: *Residet illa re* iidem: *Resedit illa re:* quod magis convenit cum sequenti *Resedit in illa re.*

p. 259. Pro *Restitui in illum locum:* multo rectius Codd. Leidd. *Restitui illum in locum.*

p. 261. in: *Subter illam rem.* Iterum verba Arusiani quae exciderant supplent Codd. Leidd. post illa: *subter mare*, ita pergendo:

Subter illa re. Virg. Aen. IX. Ferre juvat subter etc.

ib. in *Suppeditat*, illis: *Suppeditare sumtibus volo* iidem Codd. addunt vocem hoc modo: *Suppeditare illi sumt. v.*

p. 263. in *Sparge*, ad haec: *Sparge illo illud*, Bondamus: »L. *sparge illi illud.*"

p. 266. *Usque sub illam rem.* His verbis Codd. Leidd. addunt: *duae praepositiones.*

Et haec quidem praecipua sunt quae ex illis libris in Arusiani verbis emendari posse viderentur. Varietates lectionis in locis quos ex aliis scriptoribus citat nullas notavimus: sed jam tertio capite, quae ad fragmenta scriptorum, apud hunc unum auctorem servata, paullo emendatius scribenda apographa Burmanniana nobis suppeditaverint, colligemus.

CAPUT TERTIUM,

Quo fragmenta Ciceronis et Sallustii apud Arusianum ope Mss. emendantur.

Ex Ciceronis fragmentis primum duo tollemus, deinde unum emendabimus.

In Arusiani libris hactenus vulgatis (apud Lindem. pag. 222. in *Dolet illa re*) haec leguntur: *Doleo vicem tuam, id est, propter te doleo. Cic. de Domo et Rep. Vitam lugeo.* Emendarunt: *vicem lugeo*, et locum ad fragmenta incertorum librorum de Rep. retulerunt. Apographa Leidensia habent: *Cic. de* [*pro* in Apogr. 2.] *domo: et reipublicae vicem lugeo.* Haec verba in Oratione de domo non reperi: sed illud constat, ad libros de Rep. fragmentum non pertinere. Nam in prius edita lectione voces *et Rep.* corruptas esse in oculos incurrit; contra verissima est lectio: *et reip. vicem lugeo*, siquidem ad vocabulum *vicem* necessario genitivus aliquis vel possessivum requiratur, ut habeat locus suum sensum, et respondeat exemplum propositae elocutioni *doleo vicem tuam.* Eandem scripturam conjectura assecutus est Oriolius.

Fertur fragmentum ex Ciceronis Oratione de L. Othone: *Hic si se istius viae dedisset.* Petitum est ex Frontone s. Arusiano in *Dedo illi rei* p. 223. ed Lindem., qui recte ex suo Codice edidit *vitae*, ut habent etiam Leidenses, superscripto tamen *viae.* Porro in Ang. Maji Codd. eo loco citatur *Cic. pro Cotho;* unde Lindem. edidit *pro L. Otho*, quasi vero Nominativus pro Ablativo ita possit

poni. Lindem. non suspicabatur veram esse lectionem quam ipse ex Gud. notavit: *Cic. pro Coelio*, unde illud *Cotho* manifesto corruptum est. Idem praebet unus Maji codex, itemque apographa Leidensia, in quibus simul indicatur locus ex Orat. pro Coelio cap. 19. ubi eadem verba cum levi varietate prostant: *Hic si sese isti vitae dedisset.*

p. 224. *Decedo de hac re. Cic. de Rep: Ut hic de via decedendum sit.* Recte Ang. Majus, altera editione, et Codd. Leidd.: *Ut his de via decedendum sit.* Nam illud: *decedere de via*, quod erat honoris signum, Dativum personae jure suo sibi postulat; quin etiam in ipsa elocutionis formula forte scribendum est: *Decedo huic de hac re*, quomodo scripsisse Grammaticum apparere videtur ex sequenti formula: *Decedo huic*, *simpliciter*. Nam illud *simpliciter* quid significat, nisi hanc elocutionem praecedenti opponi, quoniam ibi *Decedo huic de hac re* plenius dicitur, hic tantum *Decedo huic*, non addita re aliqua, unde decedatur? [1]

Nunc videbo, an aliquantulum de Sallustio possim bene mereri.

p. 221. in *Citius hac re.: Sallust. Hist. Illo tertio mense pervenere in Pontum* etc. Correxerunt *Illi*, et sic legitur in apographo Bondami. Alioqui conjeci: *Sallust. Hist. tertio: Illo mense* etc. Pro *pervenere* Apogr. 2, *venere*. p. 239 in: *In noctem: Sallust. His.* I. *Ut si illam fu-*

---

[1] His addo, locum ex Cicer. Or. pro Cornel. I. p. 215. in *Abest tot milia:* ita exhiberi in Leidd.: *Sed ad urbem dierum tres fuit complurimum.* Supra *tres* inter lineas scriptum est *iter;* pro ultima autem voce apogr. 2: *continuum.* Illud satis ex elocutionis formula constare videtur, pro *ad urbem* scribendum esse: *ab urbe.* Porro notandum est, cum varie legant Codices Maji et Gudianus, in Leidd. utramque lectionem simul apponi; quod item aliis locis factum esse observavi.

gam innocentem in noctem componerent. Nemo dubitabit de veritate scripturae Codd. Leidensium: *Ut Syllani fugam* etc. Nescio etiam quid intelligi possit per fugam *innocentem*, quae vox forte orta est ex corrupta lectione sequentium *in noctem* [1].

p. 242. summâ. *Sallust. Hist.* IV. *quos in praesens modo satis cautum fuerat.* Lindemannus forte scribendum dicit: *Quis in praesens.* Aliud praebet Cod. Leid. (in Apogr. 2. hic locus deest): *quod in praesens.*

ibid. in *incessit illis illud: Sallust. Hist.* II. *Terror hostibus ex fiducia sui incessit.* Cod. Gud. *fiducia suis.* Apud Heinsium ad Valer. Flacc. V. v. 551, ubi hunc Arusiani articulum edidit ex Codice Neapolitano, legitur: *Terror hosti et fiducia sui incessit.* Idem tamen Heinsius ad Virg. Aen. XII. 596. citavit, ut habent etiam Leidd.: *Terror hostibus, et fiducia suis incessit* [2]. — In

---

[1] Ceterum ex hoc Sallustii loco eam locutionem fortasse sumsit Hegesippus, I. 30: *frater Herodis aquae inopia fugam in nocte composuerat;* ubi f. leg. *in noctem.*

[2] Sic Dictys Cretensis, perpetuus Sallustii imitator, lib. II: »Magna »gloria dimicantes, metum hostibus et fiduciam suis effecere." Tacit. Annal. IV, 2: »Numeroque et robore, et visu inter se, fiducia ipsis, »in ceteros metus cresceret." Hist. II, 66: »Proelium atrox arsisset, »ni duae praetoriae cohortes, caussam quartadecimanorum secutae, his »fiduciam et metum Batavis fecissent." Cf. Gronov. Obs. III, 10. extr. Similes oppositiones in re tali apud historicos frequentes sunt. Livius XL, 32: »Unde illis terror, inde Romanis animus crevit." S. Ambrosius, Epist. 47: »Quo et suis fracti animi, et erecti hostium." Tacitus, Agric. c. 26: »Territi Britanni, et Romanis redit animus: ac securi, »pro salute, de gloria certabant." Quem locum, sic, ut posui, interpungendo, expedivit Vir. Celeberr. Peerlkamp. Alioqui conjeceram: *ac sicuti pro salute, de gloria certabant;* vel etiam (ut vox exciderit praecedentis similitudine): *ac securi, sicut pro salute,* etc. Ita Demosthenes, apud Rutilium Lupum I, 1: »Ille enim (Philippus) pro laude, *sicut pro pa-*

proximo Sallustii fragmento etiam nostri Codd.: *L. hostibus*, unde Burmannus Sec. faciebat: *L. Hostilius*. Hinc ita citat Ruhnkenius ad Vellejum p. 300.

p. 243. in: *In majus*. Verba Sallustii hoc ordine exhibent Leidd.: *Haec postquam Varro audivit in majus in ore rumorum*. Illud *in ore* ita correxerat Bondamus, ut fecit Lindemannus. Corruptum est ex loco Sallustii praecedenti.

p. 250. in: *Obtrectans illi*, in loco Sallustii pro *exactos* Leidd. recte: *exactor*. Et forte est mendum typographi apud Lindemannum.

p. 251. in *Paciscor de illa*. In fragmento Sallust. Hist. I. Lindemannus pro *libertati* forte legendum dicit *libertate*. Et sic exhibent Leidd.

p. 252. in *Proximus*. Leidd.: *qui proximi locos hostium;* pro: *loca*, ut est in vulgata lectione.

p. 255. in *Poenas* (f. *Poenae*) *illius*. Leidd.: *Nam injuria validiorum*, pro: *injuriae*.

p. 256. in *Praeluceo mihi*. In Sallustii loco pro *Qui Praetores:* fortasse *Quum Praetores* scribendum esse dicit Lindem. Aliter succurrunt Leidd. legentes: *Quia Praet.*

p. 257. in: *Queror: Sallust. Histor. Nam Syllae dominationem queri non audebat*. Hunc locum Sallustii ad *Hist. lib.* I. expresse referunt Codd. Leidd. Est autem idem sine dubio locus, unde haec citantur apud Donatum ad Terent. Phorm. II. 3. 24: *Nam Syllae dominationem audebat:* quae quomodo supplenda sint hinc apparet, et simul, quae ibidem apud Donatum sequuntur, pariter ad lib. I. referenda esse.

p. 259. in *Repetitum praedae: Sall. Hist. Pirim — quo*

»*tria*, proeliatur." Hegesippus, III. 24: »Quis ergo dubitet, plus esse »pro gloria decernere, quam pro salute?"

patefactum est etc. Lindemannus putat illud *Hist. Pirim.* ex *Hist. prim.* corruptum esse. Eam opinionem confirmant Leidd., in quibus est: *Sallust. Hist.* I: *quo patef.* p. 260. in *Successit.* Ultimum Sallustii locum ita corrigendum conjiciebat Bondamus: *castra regis succedere, et propere stationem explorare jubet;* stationem nempe, quae ante castra erat.

p. 261. In *Sub hac re* in fine: *Sallust. Hist.* IV. *Dolia cum sub trabes locata vitibus aut virgis vinciebant.* Lindemannus annotat fortasse scribendum esse: *Dolia quae.* Sed Leidd. omisso illo vocabulo: *Dolia sub trabibus locata.* Iidem mox: *aut tergis vinciebant.* Quod verum. Nam *tergis vinciebant* ex Sallustio citat Serv. ad Aen. IX. 412.

p. 262. in *Sciens hujus rei: Sallust. Hist.* II. *Belli sane sciens.* Etiam Leidd. habent: *Bellica nesciens*, quod pulchre, ita ut citavi, correxit Lindemannus [1]. Moneo ideo, ne quis videns a Ruhnkenio ad Vellejum p. 365. citari *Bellicae rei sciens*, putet sic a viro praeclaro in Codd. Leidd. repertum esse. Nam ea lectio est ex conjectura, quam ad marginem apographorum suorum adscripserat Burmannus Secundus.

p. 265. in *Vacuus hac re: Sallust. Hist.* I. *Vacuam istam urbibus militari aetate.* Lindemannus pro *urbibus* conjicit: *urbem hominibus.* Malim: *urbem viris.*

Unum etiam Sallustii locum conjectura emendare tentabo, venia prius audaciae a viris doctis impetrata, qui legitur,

p. 248 in *Minister his*: *Sallust. Hist.* IV. *Multitudini ostendens, quam colere plurimum ut mox cupit, is mi-*

---

[1] Sic idem Sallustius, Jug. 97: *scientes belli.* Fronto, de Eloquentia p. 235. ed. Romanae: *belli scientes et manu prompti.*

nistrum habere decreverat. Lindemannus dicit se dubitare, quomodo corrigendus sit. Mihi ita legendus videtur: *Multitudini obsequens, quam colere plurimum, ut mox cupitis ministram haberet, decreverat.* Sic Tacit. Ann. IV, 3: *nepotes adulti moram cupitis afferebant:* et alii passim.

Addam his, tamquam epimetrum, observationem in locum Terentii, ab Arusiano citatum:

p. 210. in *Amicus: Amicus illius. Terent. Phorm. Amicus summus mei et popularis Geta.* Est ex ipso initio Phormionis, ubi legitur *meus.* In Arusiano omnes Codd. habent *mei;* et in Cod. Gud. infra etiam ad elocutionem *Cultorem* (f. *Cultor*) *sui,* p. 220 in margine scriptum est: *Sic supra Terent. amicus mei.* Bondamus putabat Arusianum ita in Codice suo invenisse, aut forte lapsum esse memoria. Memoriae illis lapsibus videndum est ne nimium tribuamus. Grammaticus, puto, tale opus non ex memoria conficiebat: sed ex codicibus suis exempla elocutionum excerpebat. Hic plane facio cum Lindemanno: qui censet ita in Arusiano mutatum esse ab eruditulo librario, qui ad significandam Genitivi structuram possessivum facere non putaret. Similes loci sunt infra: *Frater illius. Virg. Aen. V. Tuus, o clarissime, frater, Pandare. Frater illi.* etc. ubi pariter constructiones cum Genitivo et Dativo junguntur. item p. 233: *Hostis illius. Virg. Aen. VII. Hinc Agamemnonius Trojani nominis hostis. Hostis illis.* etc. ubi illud: *Hostis illius,* quemadmodum supplevit Gudius, Codd. Leidd. confirmant.

THESES.

I.

In Ammiani Marcellini Lib. XXIV prope finem: ubi in Codd. legitur: *Quidam arbitrabantur Sacenae duces adventare jam nostros;* et Henricus Valesius emendandum putabat: *Saracenos duces;* corrigendum est, syllaba, quae excidit, restituta: *Quidam arbitrabantur Arsacen et duces adventare jam nostros.* Conf. Cap. praeced., extr.

II.

In Ejusdem Lib. XXV cap. 9: quod vulgo legitur: *Constantium immani crudescente bellorum materia superatum a Persis interdum, nihil tamen ad diem perdidisse extremum,* contra historiae fidem est; ideoque corrigendum videtur: *prodidisse.*

III.

In Declamatione in Sallustium quae Ciceroni tribuitur, (§ 7. ed. Cort.) in verbis hisce: *Ego meis majoribus virtute*

4

mea praeluxi; uti, si prius noti non fuerint, a me accipiant initium memoriae suae: tu tuis vita, quam turpiter egisti, magnas offudisti tenebras; ut, etiamsi fuerint egregii cives, certe venerint in oblivionem; pro *certe* emendandum esse videtur: *per te.*

IV.

Tibulli versus, II El. 2. extr. qui sic leguntur in Mss:

Huc veniat Natalis avis: prolemque ministret,
Ludat et ante tuos turba novella pedes;

ita emendandi esse videntur:

Tunc venias, Natalis!; avus prolesque ministrent,
Ludat et ante tuos turba novella pedes.

V.

In Virgilii Aeneid. VIII, 205:

At furiis Caci mens effera, ne quid inausum
Aut intractatum scelerisve dolive fuisset,
Quatuor a stabulis praestanti corpore tauros
Avertit.

vere corrigitur:

At furis Caci manus effera etc.

VI.

Virgilii Bucolica non sordent recentiorum interpolationibus et innumerabilibus vitiis.

VII.

Tacitus, in vita Agricolae c. 34. non scripsit, ut vulgo legitur: *Defixere aciem in his vestigiis, in quibus pulchram et spectabilem victoriam ederetis;* sed, ut verissima conjectura emendatum est: *Defixere aciem in his fastigiis* etc.

VIII.

In Anthol. Latina Burmanni T. I. p. 456. pro: *Idem Agamemnonias dices quum videris arces*, legendum est, ut volebat Gronovius: *Agamemnonios — Argos.*

IX.

In eadem Anthologia T. II. p. 634, Epithalamio Laurentii v. 31:


Ad te non breviter, nam sic te velle putamus,
Verba, puella, feram:

corrigendum est:

Ad te nunc breviter.

X.

Alexandri Severi expeditio Persica fuit infelix.





TYPIS C. A. SPIN ET FILII.